SCRIPTURA S. TRINITATIS REVELATRIX, AUTHORE HERMANNO...






SCRIPTURA S. TRINITATIS REVELATRIX,

Authore

HERMANNO CINGALLO.






GOUDÆ;

Apud JACOBUM DE GRAEF,
Anno M, DC, LXXVIII.

SCRIPTURA S. TRINITATIS REVELATRIX.

Authore

HERMANNO CINGALLO.



VAriis Diabolus artibus ecclesiam, ecclesiasticaque dogmata evertere molitur: dumque aperto Marte per professos Ecclesiæ hostes nihil proficit, cuniculos agit, machinationes instruit, stratagemata fingit: verùm ubi & illis frustra ecclesiæ fidem impeti & oppugnari videt, dolos nectit, totusque, velut alter Proteus, in fraudes insidiasque conversus, furorem immittit, intestinamque discordiam movet: non secus ac Juno, quæ Herculis liberos & uxorem per Herculem ipsum interemit; quæ Æneæ classem, cui Neptunus pepercerat, per ipsas mulieres Trojanas exurere studuit. Ita & Diabolus cùm vi aperta nequiret patientiam Jobi evertere, ei per uxorem propriam insidias struxit. His artibus assuetus, præcipuum religionis nostræ dogma, quo credimus S. Trinitatis consubstantialitatem, coæternitatem & coæqualitatem, insectatus est apertè olim

per Arianos, perque Patres, qui ante Arium cum eo idem ſentiebant. Sed fruſtra. Ad dolos itaque converſus Pontificios, nobiſcum in eadem fide conſentientes, incitavit, ut ſcriberent tantum abeſſe, ut doctrina noſtra de S. Trinitatis conſubſtantialitate, coæternitate & coæqualitate ex S. Scriptura apertis & diſertis verbis probari poſſit, ut ne per conſequentiam quidem infallibilem inde deduci poſſit, imò S. Scripturam in multis locis videri docere contrarium, niſi eccleſia illa loca alio ſenſu intelligi vellet. Volunt quidem illi hoc argumento reducere Proteſtantes ad eccleſiam Romanam, à quâ defecerunt, iiſque perſuadere, ut rejecto principio ſuo, *Omnes articulos fidei in S. literis clarè & expreſſè contineri*, recipiant autoritatem eccleſiæ, verbumque Dei, quod vocant non ſcriptum, ſive traditiones, quia nimirum nequeant contra hæreticos ex S. literis ſolis probare Patrem, Filium & Spiritum S. eſſe coëſſentiales, coæternos & coæquales. Miraberis, prævideo, Lector, & obſtupeſces ad hæc. Verùm ut videas me nihil illis immeritò imputâſſe, proponam tibi ipſorum propria verba.

Joannes Cochlæus artic. 1. ſeu fundam. ait: *Credere debemus eſſe tres perſonas, & unam eſſentiam in Deitate, Deum Patrem eſſe ingenitum, Deum Filium cum Deo Patre conſubſtantialem, Deum Spiritum ſanctum ab utroque procedere. Iam pervolve totam*

ſcriptu-

scripturam, nunquam tamen reperies scripta hæc sublimia & præclara verba: Tres personæ, una essentia, ingenitus, consubstantialis, ab utroque procedens. Eccius in loc. comm. dicit, *Trinitatem nullâ ratione probari posse è sacris literis, sed traditionem esse ecclesiæ.* Hosius Cardinalis & Concilii Tridentini præses conf. cath. cap. 27. Joh. *Doctrinam de trino & uno Deo* ait *esse dogma traditionis, & ex scriptura nulla ratione probari posse.* Melchior Canus loc. Theol. lib. 3. c. 3. fund. 2. *in sacris literis non esse expressa processionem Spiritus Sancti ex Filio, trium personarum in una substantia æqualitatem, earundemque per relativas proprietates distinctionem.* Antonius Possevinus in refut. resp. Chytræi scribit: *Spiritum Sanctum esse adorandum, Filium Patri consubstantialem & ὁμοούσιον, & cætera, in scripturis non ita cernimus expressa, ut sine interprete Ecclesia hæretici convincantur.* Bellarminus profitetur, *Arium non ex scriptura, sed ex non scripto verbo damnatum fuisse. Etsi enim* (addit) *quædam scripturæ poterant afferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat scripturas, ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in ecclesia succedentium, fuisse damnatum:* contr. 1. lib. 4. cap. 6. & contr. 2. Coppenstein in epit. Bellarm. p. 2. qu. 18. n. 5. *De Trinitate,* (ait) *an tres realiter distinctæ sint personæ, de ὁμοουσίᾳ æterna, Filii ex substan-*

tia Patris generatione, personarum in divinis æqualitate, duabus in Christo naturis, Spiritus sancti Deitate, ecclesia determinare debuit, non potuit scriptura. Tannerus Jesuita cum toto, qui aderant, sociorum suorum in Collegio Ratisbonensi choro, non alio magis argumento urgebat Lutheranos, ad recipiendas traditiones, quàm *quod dogma de Trinitate ex scripturis demonstrare non possent, & quod Ariani non potuerint convinci ex sola scriptura.* Idem ait Autor libri Anglici, *the infallibility of religion.* Hieronymus à S. Hyacintho in Idea Colloquii Thoruniensis, asserit *Trinitatem ex solis traditionibus haberi.* D. Petavius de Trinit. lib. 3. cap. 11. §. 9, *Qui*, inquit, *sola scriptura, h. e. scriptis verbis fidem alligant suam*, (de Lutheranis & Calvinianis loquitur) *qui præter hanc nullam credendi sibi normam ac regulam constituunt, quoties cum talibus pestibus* (Antitrinitariis) *pugnam conferunt, quæ se solis itidem scripturæ verbis tegunt ac tuentur, sudare plus satis est, & suo artificio superari. Quod iis sæpius in colloquiis ac disputationibus, quos cum Photinianis, Arianisque contulerunt, superiore illis accidisse seculo, memoriæ proditum est.* Conf. Tom. 4. lib. 16. c. 1. §. 8. & de Trinit. lib. 1. c. 3. §. 3. & c. 8. §. 2. ait, *æqualitatem & coæternitatem Filii cum Patre non fuisse patefactam vel constitutam ante tempora Concilii Nicæni.* Idem enim lib. 1. c. 5. §. 7.

c. 8.

c. 8. §. 2. c. 3. §. 3. lib. 4. c. 1. & Pan. Epiph. hær. 69. tradit Patres Antenicænos, i. e. qui tribus primis à nato Christo seculis floruerunt, eadem, quæ pòst Arius, tradidisse, ut infra videbimus. Et tamen non veritus est scribere tomo 4. lib. 16. c. 2. §. 2. *nullam aliam posse esse viam conciliandorum inter se de fide, ac de scripturæ sensu dissidentium* (Catholicorum scilicet & Arianorum,) *nisi ut de consensu partis utriusque litigantium, ratus ille sensus habeatur, in quem primis seculis, & ætati Apostolorum proximis, Christiana omnis conspiravit ecclesia.* De partibus itaque Arianorum utraque manu ratus habebitur ille sensus: adeoque Ariani, judice vel ipso Petavio vicerint. Nihusius Artis novæ Coron. P. 10. *Quicquid sit,* inquit, *admisso principio illo Lutherano,* (solam scripturam esse normam fidei) *rejicitur Sancta Trinitas, rejicitur processio Spiritus Sancti à Filio.* Malenius Medit. Concord. parte 1. tr. 1. c. 7. *Advertendum est, quosdam nobis articulos ad fidem, salutemque proponi necessarios, qui tamen nec disertè prorsus, clareque in sacris literis continentur; nec infallibili ex illis consequentia deduci possunt, ideoque solùm admittuntur, quia vetus, primaque ecclesia in Conciliis, Symbolis & Patribus hoc sensu acceptavit. Exempla subjiciam: I. Credimus Deum in essentia & substantia unum esse, trinum in persona & subsistentia, quam tamen distinctionem,* scriptu-

Scriptura disertè non aperit, nec manifesta infert consequentia. --11. *Credimus, Christum in substantia æqualem Patri, & nec majorem illo nec minorem, ex eo quod Christus dicat: Ego & Pater unum sumus. Et Philippo: Qui videt me, videt & Patrem meum, Ioh. XIV. 9. & tamen ibidem dicit: Vado ad Patrem, quia Pater major me est:* &c. *Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio:* 28. 33. *Uter verò sensus fundamentalis sit, nulla Scriptura disertè definit.* Paulò pòst: *Hic epilogus ab utraque parte tam catholicorum, quàm Protestantium admissus est. Ex quo manifestum est, ecclesiæ autoritatem, traditumque illi Dei verbum etiam juxta utrosque agnoscendum. Citra hoc enim articuli illi antè propositi de fide esse non possunt: cùm objectum fidei divinæ necessariò sit purum Dei Verbum. Verum in una particula* tamen (*quam pro nec adhibent*) *dum ajunt: Infallibili* tamen *consequentia, subjectos videlicet articulos, aliosque, (quos clarè scriptura non exponit) deduci ex illa posse, evertunt pleraque, & sibimetipsis etiam contradicunt. Nam admittunt articulos illos in Scriptura clarè non contineri: non igitur poterunt sine periculo fallentis sequelæ ex eâ deduci. Quod enim obscurè tantùm in suis apparet præmißis, non semper infallibilem potest gignere consequentiam. Deinde nulla in his articulis demonstratio*

ex

ex utraque præmissa Verbi Dei scripti producetur, quæ infallibiliter concludat. Si bem altera propositionum ex ratione fuerit, conclusio non poterit complecti purum verbum Dei, ideoque nec esse de fide divina, quæ nullius verbi, nisi divini tantùm autoritate movetur. Quodsi igitur Protestantes de tali hîc agant consequentia, quæ ex puro, putoque verbo Dei per elenchum deducatur, facilè hanc ipsorum additionem patiemur: si minus, vana est. nec æquos unquam defensores repertura. Parte 2. tr. 1. art. 1. obs. *Patri Filium* ὁμοούσιον, *sive consubstantialem esse, manifestum est in nulla Scriptura S. vel expressis verbis, vel certâ, immutabilique consequentia, ex iisdem solis ducta reperiri. Non expressis verbis: quia in tota S. Scriptura vox hæc nusquam legitur. Nec infallibili consequentia: quia nihil tale ratione simul & S. Scriptura niti potest: quod ipsius & rationis principiis non congruit; sed huic non congruit personam unam alteri identificari, cùm receptissimum Philosophorum axioma sit: quod, quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se. Hanc rem ipsa agnovit & professa est Nicæna Synodus, cùm inquit: Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, definimus. Ut si huic Protestantes acquiescant Synodo, jam suum cogantur deserere principium: solis Scripturæ verbis, sententiæque insistendum esse.*

Iterum quod dicant : Decretum Nicænæ Synodi de unitate eſſentiæ divinæ, & de tribus perſonis, verum & ſine ulla dubitatione credendum : placet ſanè, at hæc ſententia, neque expreſſè, neque neceſſaria conſecutione ex ſola ſcriptura deducetur, præſertim ſi illa cum Luthero & Orientalibus hæreticis græcum textum mutilantibus, Ioh. 1. V. 7. tres ſunt, &c. à Confeſſioniſtis quoque non agnoſcantur. Quibus tamen admiſſis, cùm ſcriptura non definiat, unitaſne voluntatum in amore, an naturarum in eſſentia intelligenda ſit, & ſi conſequentia rationis agendum ſit, pro amoris unitate futura ſit concluſio : rectè Confeſſio Auguſtana definiit, quod decreto Nicænæ Synodi velit acquieſcere, qua in re, ſi ut loquitur, ſentiat, habemus concordiam. Parte 3. artic. 6. p. 72. Obſ. *Quæ obſecro Scriptura docet : Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, quæ tradit hos eſſe coëſſentiales? quæ cum ſimplici naturarum eſſentia diſtinctionem perſonarum realem conjungit?* Concl. tr. 2. cap. 1. *Credunt illa, quæ ab Athanaſio in Symb. de SS. Trin. tam circa perſonarum diſtinctionem, quàm naturæ divinæ, ejuſque attributorum æqualitatem proponuntur, de proceſſionibus item divinis, Chriſto à Patre ab æterno genito, Spiritu S. ab utroque non genito, ſed procedente, nec tantùm ab alterutro. Hæc aliaque Proteſtantium nemo per infallibilem ex ſacris literis conſequentiam, ſepoſito hoc verbo Dei tradito,*

poteſt

potest evincere. Postulatum hoc ab illis sæpius est, nemo tamen præstitit. Scriptura etiam nonnullis locis videretur suadere oppositum, nisi ecclesia nos aliter docuisset. Nam si Christus dicit: Pater major me est, sine exceptione: cur non sequatur, Ergò Christus est Patre minor? si dicit: Ego & Pater unum sumus: cur non æquè in personâ, quàm natura? aut cur non potius in charitate & affectu, quàm natura; cùm alibi precetur, ut nos unum simus cum ipso, sicut ipse unum erat cum Patre? Probent infallibilem, quæ hæc destruat, illa adstruat, consequentiam, quam ratiocinio pari adversarii nequeant elidere. Milleterius in Declarat. causarum conversionis suæ ad fidem Catholicam, probat Socinianos ex principiis Lutheranis & Calvinianis cum ipsis communibus, (inprimis scripturam solam esse regulam articulorum fidei,) majore cum arte & subtiliùs disputare, quàm Lutheranos & Calvinianos: eosque faciliùs scripturam tractare, ut faciant quadrare testimonia, per subtilitatem ratiocinationis, & per inventionem glossarum & interpretationum, quæ videntur fundatæ super exquisitis Legibus Dialecticæ & Grammaticæ, & subtilitatis linguarum, &c. Socinianos firmius ædificium struxisse super illa principia, quæ ipsis cum Lutheranis & Calvinianis sunt communia, & propter quæ à Papatu secesserunt. Socinianos captivos ducere virtute suæ ratiocinationis, & subtilitate sua-

rum interpretationum omnes, qui cum iis certare voluerint ex Scriptura. In summa, aut religionem Catholico-Romanam, aut Socinianam esse veram. In eundem sensum scribit Autor Anonymus, hæresi Pontificius, in libro Anglico, cui titulus est: *the infallibility of Religion*: & Valerianus Magnus in Judicio suo de Acathol. & Cathol. credendi regula, contra Anonymum credentem unum solum summum Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi: *Ego quidem*, inquit, *si intrò meam conscientiam superarem ecclesiæ autoritatem, quatenus eam non censerem infallibilem, non propterea concessserim in sententiam Lutheranorum, Calvinistarum, Anabaptistarum, & similium; sed planè decederem à Christo, qui suam deserat, aut non curet Ecclesiam: nec existimarem, Deum esse sollicitum de nobis, sed me deficientem à Catholicismo exciperet Atheismus. Fateor tamen, subscripturum me tuæ regulæ credendi, si post collapsam apud me autoritatem ecclesiæ etiamnum Christo crederem. Nimirum consulerem S. literas, quibus adhiberem principia Philosophica, quæ duo simul juncta, sunt tibi integerrima fidei norma.* Neque hinc abhorret, quod Ernestus Landgravius Hassiæ ad Baronem Boyneburgium anno 1671, d. 1. Augusti, super Jesuitæ P. Andreæ Wigandi apostasia, lingua Germanica scripsit in hæc verba: N. 2.

Die

Die so genannte Evangelische Lutterische Religion in allem zu approbiren / und selbige der Reformirten / Arminianischen / Mennonitischen oder Socinianischen Religion vorzuziehen / da weiß ich warlich keinen rath zu. Item N. 17. Warumb ist er doch immer Lutterisch worden? Worinn übertrifft doch immermehr solche Religion die Calvinische oder Reformirte / die Arminianische oder Remonstrantische / die Mennonitische oder Wiedertäufferische / die Socinianische oder Antitrinitarische? Haben solche vier andere Claßen der Protestirenden nicht eben solche aversion und gleiche Principia gegen unsere Catholische Religion? Gebrauchen sie sich nicht eben wie die Lutheraner thun der H. Schrifft? Halten sich solche nicht immer so reformirt und warhafftig Evangelisch / als die Lutheraner / ja haben solche / und ihrer ein theil / oder

ein

eine vor denen anderen/ in conformitate communium principiorum nicht mehr apparentz / als eben die Lutterſche ſelbſten? Iſt es dann ſo ein großes Werck/dem Käyſer Carolo V. die hernach öffters geänderte Augspurgiſche confeſſion übergeben zu haben? Haben das nicht die Calviniſten auch gethan / und in Franckreich ihre confeſſion denen Königen daſelbſt preſentiret / und mit dem degen gegen die Obrigkeit eher und mehr/als ja nicht mit leiden alleine/ ihre religions-freyheit erhalten? Was mich betrifft / will ich dieſes ingenuè bekennen / daß / wann ich/ dafür mich dan ja Gott der Almächtige gnädig behüten wolle/ die Catholiſche Religions-Principia wolte fahren laßen / ich mich nicht recht vor illuminirt noch reformirt halten könne / ich folgte dann eben denen Socinianern oder Mennoniten / als welche unverneinlich ungleich mehrern ſchein

haben/

haben / als die Lutteraner / oder Calvinisten : dann seposita traditione non scripta, & autoritate Ecclesiæ, der Articul von der H. Dreyfaltigkeit / Kindertauffsgültigkeit / und aufferstehung unsers itzigen habenden fleisches / eben so wol / und auf eben die art herhalten müßen / als alle andere von denen Protestirenden gegen uns contra-vertirte glaubensstreitigkeiten / und ist denen Protestirenden das Concilium zu Trient nicht recht / so wird das Nicænum primum gewiß nicht mehrere autorität bey einem Socinianer und Mennoniten haben können / zu geschweigen / daß man gewißlich denen Mennoniten / Tauffgesind / oder Wiedertäuffern in Holland daß Lob geben muß / (sehet wie unpartheyisch und sincerè ich in allem / Gott lob / gesinnet bin / und nicht dafür halte / daß Gott anderster / als alleinig mit der dürren lautern warheit /

und ungefärbter liebe / bedienet ist/) daß solche nicht ins gemein alle Lutheraner und Calvinisten / sondern auch viele Catholische selbsten / quoad mores & disciplinam ecclesiasticam verschämen. Warumb / wiederhohle ich nochmahln / und von so vielem welches zu sagen wähee / nur wenig zu melden / hat doch der Wigand immermehr Lutterisch werden mögen/da doch selbige Religion / wie R. P. Ked sehl. unwiedertreiblich erwiesen / nichts sonderliches vor sich bringet / welches/ wie bereits einmahl erwehnet worden / auf eben die art die selbst von ihr verdammte Ketzer nicht auch / und zwar mit eben dem schein vorbringen und pretendiren. In eundem sensum fusissimè scripsit Forerus, & ex eo Vitus Erbermannus, in dialogis suis inter Lutherum & Arium, quos lege sis. Consentiunt Immanuel à Vega, Alfonsus de Castro, Alfonsus Salmero, Prol. XI. q. 3. Can. 25. & Prolegom. XXVI. Lindanus in Panopl. III. 5. & de vera Christi eccles.

dia-

diatrib. anal. c. 44. De Sacrobofco, Gentianus Hervetus in epift. Francifcus Lucas Brugenfis in Joh. I. 49. Petrus Skarga in Matth. XXVIII. 19. Wujekus, Verronius, Piftorius, Hagerus, Thomas Henrici Anat. A. C. art. 1. q. 1. Becanus, Jacobus des Hayes. Quæ teftimonia inter plura alia allegavit Chriftophorus Sandius in Nucleo hiftoriæ ecclefiafticæ, feu Hiftoria Arianorum, lib. 1. feculo IV. pag. 141, 142, 152, 153, 154, 155, 156, 157.

Ita, ut dixi, argumentantur hæretici Montaniftæ, quos Pontificios folemus appellare, ut nos Catholicos retrahant in fpeluncam fuam latronum. At vereor ne ex incautis quibufdam Proteftantibus antè faciant Arianos hoc argumento, quàm eos in ecclefiam Romanam traducant, i. e. ut prius dubitent de Articulo fidei, credantque ipfum potius abjiciendum, quàm putent falfum effe hoc primum fere omnium Proteftantium in Theologia principium: *Omnes articulos fidei ad falutem neceffarios diftinctè, clarifque ac expreßis verbis in S. Scriptura effe revelatos.* Sacræ literæ pafcua funt ovium Chrifti, ut in temporibus Antichrifti inde veritatem difcant: gramen illud lædere, i. e. S. Scripturam corrumpere, prohibitum fuit Satanæ in Apocalypfi: fi enim illud corruptum vel fublatum fuiffet, neceffariò interirent oves Chrifti, nulloque argumento fideles detegere pof-

fent

ſent Antichriſtum, ut rectè ait Auto eruditiſſimus Operis Imperfecti in Matthæum.

Sufficientia autem S. Scripturæ in iis quæ de fide ſunt, probatur ex Joh. V. 39. *Scrutamini ſcripturas: nam vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtificantur de me.* Joh. XX. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* 2 Timoth. III. 16, 17. *Omnis ſcriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia:* Ut *perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Eadem quoque fuit ſententia Patrum. Nam Irenæus adv. hæreſ. lib. 2. cap. 47. *Firmam* ait *de Deo notitiam non eſſe obfuſcandam quæſtionibus variis, & alia præter manifeſtata in Scriptura perfecta non eſſe inveſtiganda.* lib. 3. cap. 2. *Hæretici*, inquit, *cùm ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant, nec ſint ex autoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poßit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem.* Nemo niſi ad lucem meridianam oculos claudens non videt ex hoc loco, Pontificios eſſe ſectarios veterum hæreticorum. Maſenius dicit, Scripturam quandoque videri dicere oppoſitum ſententiæ de

Tri-

Trinitate, annon hoc eſt *in accuſationem converti ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant*? Maſenius opponit his dictis Scripturæ, *Ego & Pater unum ſumus*, & *Qui videt me videt & Patrem meum*, illa: *Pater major me eſt*, & in quibus dicuntur *fideles unum cum Deo*; annon hoc eſt dicere *Scripturas variè eſſe dictas*? Maſenius ait, Trinitatis coëſſentialitatem & coæqualitatem non poſſe probari ex ſcripturis ſine traditione, annon hoc eſt dicere, *quòd non poſſit inveniri veritas in ſcripturis ab his, qui neſciant traditionem*? Nihil profectò propius petit jugulum cauſſæ Pontificiorum, quàm hoc teſtimonium Irenæi, qui etiam lib. 5. c. 17. ait, *Hæretici ſunt, qui ſupra ſcripturam ſapiunt*. Tertullianus lib. de reſurrect. carnis: *Aufer* (inquit) *hæreticis, quæ cum ethnicis ſapiunt, ut de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt. Communes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, & compaſſio ſententiarum, & familiaritas opinionum, eòque fideliores exiſtimantur, quia nuda & aperta, & omnibus nota definiunt.* Contra Petavius ait, Trinitatem ex ſolis ſcripturis non poſſe defendi nec probari. lib. de Præſcript. refellit Gnoſticos à Carpocrate ortos, qui quidem dicebant, nihil Apoſtolos ignoraſſe, tamen non omnia omnibus tradidiſſe & revelâſſe: ipſe autem ſtatuit *Apoſtolos & omnia ſciviſſe, & omnia omnes docuiſſe*; additque: *Credunt*

ſine

sine & extra scripturam, ut credant contra scripturam. Contra Hermog. c. 22. *Adoro,* inquit, *Scripturæ plenitudinem.---Si non est scriptum, timeat* (Hermogenes) *væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Origenes tr. 25 in Matth. *Templum quidem gloriæ Dei est omnis Scriptura divinitus inspirata, aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergò ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum proprium aurum.* tr. 27. *Malum quidem est invenire aliquem secundum mores vitæ errantem, multò autem pejus arbitror esse in dogmatibus aberrare, & non secundùm verissimam regulam scripturarum sentire.* Procem. Periarch. *de Deitate ex scripturis sacris disputari* vult. & lib. 1. cap. 3. *Nos* (ait) *secundùm fidem doctrinæ ejus, quam divinitus aspiratam pro certo habemus, eminentiorem, diviniorem que rationem de Filio Dei, nullius alterius possibilitatis esse credimus expromere, atque in hominum cognitionem proferre, nisi ejus solius scripturæ, quæ à Spiritu sancto inspirata est,* id

id eſt, euangelicæ atque apoſtolicæ, nec non legis ac prophetarum, ſicut ipſe Chriſtus aſſerit. paulò pòſt expreſsè addit: *qualiter de Patre, Filio & Spiritu Sancto ſentiri debeat, in divinis Scripturis non ſolùm Novi, ſed & Veteris Teſtamenti expreſſum* (NB) *eſſe.* Lactantius div. Inſt. lib. 2. cap. 9. dicit, *ſola S. Scriptura nobis opus eſſe, atque in eâ demum expreſſa* (NB) *eſſe, quæcunque ad ſalutem neceſſaria ſunt homini.* Conſtantinus Magnus Imp. apud Theod. l. 7. hiſt. eccl. dicebat in Synodo Nicæna: *Libri Euangeliſtarum & Apoſtolorum, quin & veterum Prophetarum oracula evidenter nos docent, quid de divino Numine ſentiendum ſit.* Idem ſentiebat Conſtantius ejus filius, Imperator Arianus: ita enim lib. 3. ad eum ſcribit: *Verè te, Domine Conſtanti Imperator, admiror, fidem tantùm ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt, deſiderantem, & meritò planè,* &c. *Hoc qui repudiat, Antichriſtus eſt, & qui ſimulat, anathema eſt.* Ibid. *Bene habet ut iis quæ ſcripta ſunt, contentus ſis.* Ipſe tamen Hilarius ſibi minimè conſtans lib. 1 ad eund. dicit Conſubſtantialitatem Patris & Filii in Scriptura non eſſe expreſſam. Athanaſius: *Si bene fidunt,* inquit, *ſuæ ſectæ, oſtendant ſiquid pro ea defendenda vel ex ſacris literis, vel ex aliqua humana ſaltem ratione pia deducere poßint, aut ſi non poſſunt, taceant.* Cyrillus Hieroſol. catech. 4 Myſt. Illum. *Oportet* (ait) *de divinis & ſanctis fidei myſteriis ne minimum*

qui

quidem ſine divinis Scripturis tradi, neque ſimplici probabilitate, neque verborum ornatu traduci. Ne mihi quidem ea tibi proferenti ſimpliciter credas, niſi ex divinis Scripturis eorum quæ dicam, accipias demonſtrationem. Nam fidei noſtræ ſalus & ædificatio, non iis quæ ipſe quis invenit, nititur; ſed divinarum ſcripturarum demonſtratione. Catech. 5. *Excerpe autem tempore opportuno ex ſacris Scripturis, quæ eſt inſita illis, probationem. Non enim, ut videtur, ab hominibus compoſitæ ſunt res fidei.* 11. *Neque tamen vel ipſe Spiritus Sanctus de Filii ex Patre generatione in Scripturis loquutus eſt. Cur ergò curioſè inquiris ea quæ Spiritus non ſcripſit in Scripturis? Qui ea quæ ſcripta ſunt, non nôſti, ne ſis curioſus in his quæ ſcripta non ſunt.* 16. *Dicemus de Spiritu S. ea tantùm quæ ſcripta ſunt: ſiquid autem ſcriptum non eſt, non ſcrutabimur curioſe. Ipſe Spiritus S. eloquutus eſt Scripturas. Ipſe etiam de ſeipſo dixit*, &c. *Dicantur ergò quæcunque dixit. Nam quæ ille non dixit, nos non audiamus.* Joannes epiſcopus Arianus in eruditiſſimo Opere imperf. in Matth. hom. 19. *Si videris*, ait, *hominem Chriſtianum, ſtatim conſidera, ſi confeſſio ejus conveniat cum ſcripturis, verus eſt Chriſtianus: ſi autem non eſt quemadmodum Chriſtus mandavit, falſus eſt.* 49. *Tempore Antichriſti ex quo hæreſis eccleſias obtinuerit, nullam probationem eſſe poſſe veræ Chriſtianita-*

nitatis, vel refugium Christianorum aliud, volentium agnoscere fidei veritatem, quàm Scripturas divinas. ibid. *Volentibus cognoscere, quæ sit vera ecclesia, non est alius modus, nisi tantummodò per Scripturas, &c. Qui ergò vult cognoscere qua sit vera ecclesia Christi, unde aut quomodo cognoscat, in tantæ confusione similitudinis, nisi tantummodò per scripturas? Sciens ergò Dominus tantam confusionem rerum in novißimis diebus esse futuram: ideo mandat ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alias respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis ecclesiæ locis.* Theodoretus in Genes. *Audax*, ait, *facinus est asseverare illa, de quibus nihil expressè* NB *in scripturâ.*

Perspicuitas etiam Scripturæ S. in revelatione mysteriorum fidei probatur *primò* ex ratione. Nam si Deus obscurè locutus est, aut noluit, aut non potuit perspicuè loqui, illud benignitati, hoc potentiæ Dei repugnat. Locutus ergò est perspicuè Deus, quia & voluit & potuit. *Secundò* ex ipsa S. Scriptura, Psalm. CXIX. 105. *Verbum tuum lucerna est pedibus meis, & lux ad iter meum.* 2 Cor. IV. 4. *Quod si tectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum*

est.

eſt. 2. Petri I. 19. *Habemus firmiſſimum ſermonem propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis, velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, uſque dum dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris.* *Tertiò* ex conſenſu Patrum: Irenæus lib. 2. c. 46. ait *firmam* de Deo *notitiam non eſſe obfuſcandam quæſtionibus variis, & alia præter manifeſtata in ſcriptura perfecta non eſſe inveſtiganda.* Tertull. de reſurr. Carnis, *Aufer hæreticis, quæ cum ethnicis ſapiunt, ut de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt. Communes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, & compaſſio ſententiarum, & familiaritas opinionum, eoque fideliores exiſtimantur, quia nuda & aperta, & omnibus nota definiunt.* Præclariſſimè autem Lactantius Divin. Inſtit. lib. 6. cap. 21. ſcribit: *Num Deus & mentis & linguæ artifex diſertè loqui non poſſit? Imò verò ſumma Providentia carere fuco voluit ea, quæ divina ſunt, ut omnès intelligant, quæ ipſe omnibus loquebatur.* Conſtantinus M. Imp. apud Theod. l. 7. *Libri* (inquit) *Euangeliſtarum & Apoſtolorum, quin & veterum Prophetarum oracula evidenter nos docent, quid de divino Numine ſentiendum ſit.* Ulterius meritò progreditur Theodoretus in Geneſ. quando ſcribit: *Audax facinus eſt aſſeverare illa, de quibus nihil expreſſe* (NB. i. e. explicitè, ſine conſequentia) *in ſcripturâ.*

Inſufficientia traditionum probatur ex

Esaiæ XXIX. 13. Matth. XV. 9. *Frustra colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Deinde ex traditionibus aliquid probare, est ex propriis seu domesticis testimoniis argumentari, quod fatetur Thomas de Aquino p. 1. sum. q. 1. art. 8. ad 2. At enim quâ ratione demonstrent Pontificii aliis sectis, suas traditiones esse divinas, adeoque recipiendas, alias verò rejiciendas? Incertæ omnino sunt traditiones, atque dubiæ autoritatis, nec recipiuntur ab aliis sectis, ex his verò, quorum autoritas incerta est, nihil certi unquam elici potest. Nec minus ridiculè mihi procedere videtur, qui ex suis traditionibus aliis sectis veritatem suorum dogmatum demonstrare conatur, quemadmodum Pontificii Iudæis & Paganis S Trinitatem, quam nec ex ratione, nec ex S. Scripturâ probari posse ajunt, ex suæ ecclesiæ traditionibus non scriptis probare volunt; quàm siquis Gallus controversias Regis Galliæ cum Rege Britanniæ ex Gallorum merâ lege civili decidi suaderet; cùm potius illæ decidendæ sint ex communi jure naturæ & gentium, ab utraque gente recepto. Non secus quælibet secta alteri veritatem suæ doctrinæ demonstrare tenetur vel ex lumine rationis naturalis, idque in quæstionibus scientificis; vel in mysteriis, rebusque fidei ex S. Scriptura, si utraque disputantium pars eam pro indubitato Dei verbo agnoscit. Ipsa autem Scriptura sacra, & præter eam Iosephus,

pinas, ac Patres, Justinus, Epiphanius, Hieronymus, reprehendere Pharisæos, suas [illegible] traditiones. Idem docet Irenæus, qui id non solum de Basilidianis & Carpocratianis, sed & in genere de omnibus hæreticis affirmat. Tertullianus, Epiphanius & Augustinus, scribunt Gnosticos, Montanistas & omnes antiquissimos hæreticos, qui se Christianos & Catholicos dici volunt, [illegible] & audacias [illegible] maximè exhor- [illegible] hæc certissime euange- [illegible] *adhuc multa* [illegible] *potestis portare mo-* [illegible] quæ tunc discipuli [illegible] Spiritus [illegible] prædica- [illegible] Spiritus [illegible] Lector, [illegible] contra [illegible] contra Patres [illegible] ac Ponti- [illegible] qualita- [illegible] Epiphanio, [illegible] Nice- [illegible] Pe- [illegible] bus [illegible] cum [illegible] de- [illegible] Scriptu- [illegible] Mon- [illegible] imper- [illegible],

fectam, nec rectè habere, & variè esse dictam, neque posse veritatem ex his investigari ab his qui nesciunt traditionem, quam Salvator noster indigitaverit dicens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ nunc non potestis bajulare.* Idem iisdem verbis Arianis respondent Pontificii. Patres regerebant traditiones præter scripturam nullius esse momenti. Idem Pontificiis regerunt Ariani. Ut autem pleniùs videas, Lector erudite, quo loco Patribus fuerint traditiones, sequentia de iis testimonia ex illis excerpta tibi proponam. Justinus Martyr ad Tryphonem Judæum ait, *aßistenti tibi probabo non variis nos credidiße fabulis, nec demonstratione carentibus assertionibus*: & epist. ad Zenam & Serenum: *de quorundam prout eorum fert præsumptio, institutione & disciplina, sed præter rationem suscepta illa & inutili, juxta traditionem hominum, quasi hæreditario ab eis jure occupata, persimilia Pharisæis & sentientibus & facientibus in epistola ad Papam diligenter & accuratè disserui.* Irenæus lib. 3. cap. 2. *Hæretici cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, nec sint ex authoritate, & quia variè sunt dictæ, & quia non poßit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem.* Tertullianus lib. de præscript. *Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit,*

sine & extra scripturam, ut credant contra scripturam. Contra Hermog. c. 22. *Adoro,* inquit, *Scripturæ plenitudinem.---Si non est scriptum, timeat* (Hermogenes) *væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Origenes tr. 25 in Matth. *Templum quidem gloriæ Dei est omnis Scriptura divinitus inspirata, aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergò ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum proprium aurum.* tr. 27. *Malum quidem est invenire aliquem secundum mores vitæ errantem, multò autem pejus arbitror esse in dogmatibus aberrare, & non secundùm verißimam regulam scripturarum sentire.* Procem. Periarch. *de Deitate ex scripturis sacris disputari* vult. & lib. 1. cap. 3. *Nos* (ait) *secundùm fidem doctrinæ ejus, quam divinitus aspiratam pro certo habemus, eminentiorem, diviniaremque rationem de Filio Dei, nullius alterius poßibilitatis esse credimus expromere, atque in hominum cognitionem proferre, nisi ejus solius scripturæ, quæ à Spiritu sancto inspirata est,* id

id est, euangelicæ atque apostolicæ, nec non legis ac prophetarum, sicut ipse Christus asserit. paulò pòst expreſsè addit: *qualiter de Patre, Filio & Spiritu Sancto sentiri debeat, in divinis Scripturis non solùm Novi, sed & Veteris Testamenti expressum* (NB) *esse.* Lactantius div. Inſt. lib. 2. cap. 9. dicit, *sola S. Scriptura nobis opus esse, atque in eâ demum expressa* (NB) *esse, quæcunque ad salutem necessaria sunt homini.* Conſtantinus Magnus Imp. apud Theod. l. 7. hiſt. eccl. dicebat in Synodo Nicæna: *Libri Euangelistarum & Apostolorum, quin & veterum Prophetarum oracula evidenter nos docent, quid de divino Numine sentiendum sit.* Idem ſentiebat Conſtantius ejus filius, Imperator Arianus: ita enim lib. 3. ad eum ſcribit: *Verè te, Domine Constanti Imperator, admiror, fidem tantùm secundum ea, quæ scripta sunt, desiderantem, & meritò planè,* &c. *Hoc qui repudiat, Antichristus est, & qui simulat, anathema est.* Ibid. *Bene habet ut iis quæ scripta sunt, contentus sis.* Ipſe tamen Hilarius ſibi minimè conſtans lib. 1 ad eund. dicit Conſubſtantialitatem Patris & Filii in Scriptura non eſſe expreſſam. Athanaſius: *Si benè fidunt,* inquit, *suæ sectæ, ostendant siquid pro ea defendenda vel ex sacris literis, vel ex aliqua humana saltem ratione pia deducere possint, aut si non possunt, taceant.* Cyrillus Hieroſol. catech. 4 Myſt. Illum. *Oportet* (ait) *de divinis & sanctis fidei mysteriis ne minimum*

quidem ſine divinis Scripturis tradi, neque ſimplici probabilitate, neque verborum ornatu traduci. Ne mihi quidem ea tibi proferenti ſimpliciter credas, niſi ex divinis Scripturis eorum quæ dicam, accipias demonſtrationem. Nam fidei noſtræ ſalus & ædificatio, non iis quæ ipſe quis invenit, nititur; ſed divinarum ſcripturarum demonſtratione. Catech. 5. *Excerpe autem tempore opportuno ex ſacris Scripturis, quæ eſt inſita illis, probationem. Non enim, ut videtur, ab hominibus compoſitæ ſunt res fidei.* 11. *Neque tamen vel ipſe Spiritus Sanctus de Filii ex Patre generatione in Scripturis loquutus eſt. Cur ergò curioſè inquiris ea quæ Spiritus non ſcripſit in Scripturis? Qui ea quæ ſcripta ſunt, non nôſti, ne ſis curioſus in his quæ ſcripta non ſunt.* 16. *Dicemus de Spiritu S. ea tantùm quæ ſcripta ſunt: ſiquid autem ſcriptum non eſt, non ſcrutabimur curioſe. Ipſe Spiritus S. eloquutus eſt Scripturas. Ipſe etiam de ſeipſo dixit,* &c. *Dicantur ergò quæcunque dixit. Nam quæ ille non dixit, nos non audiamus.* Joannes epiſcopus Arianus in eruditiſſimo Opere imperf. in Matth. hom. 19. *Si videris,* ait, *hominem Chriſtianum, ſtatim conſidera, ſi confeſſio ejus conveniat cum ſcripturis, verus eſt Chriſtianus: ſi autem non eſt quemadmodum Chriſtus mandavit, falſus eſt.* 49. *Tempore Antichriſti ex quo hæreſis eccleſias obtinuerit, nullam probationem eſſe poſſe veræ Chriſtianita-*

nitatis, vel refugium Christianorum aliud, volentium agnoscere fidei veritatem, quàm Scripturas divinas. ibid. *Volentibus cognoscere, quæ sit vera ecclesia, non est alius modus, nisi tantummodò per Scripturas,* &c. *Qui ergò vult cognoscere qua sit vera ecclesia Christi, unde aut quomodo cognoscat, in tantæ confusione similitudinis, nisi tantummodò per scripturas? Sciens ergò Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus esse futuram: ideo mandat ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alias respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis ecclesiæ locis.* Theodoretus in Genes. *Audax*, ait, *facinus est asseverare illa, de quibus nihil expressè* NB *in scripturâ.*

Perspicuitas etiam Scripturæ S. in revelatione mysteriorum fidei probatur *primò* ex ratione.. Nam si Deus obscurè locutus est, aut noluit, aut non potuit perspicuè loqui, illud benignitati, hoc potentiæ Dei repugnat. Locutus ergò est perspicuè Deus, quia & voluit & potuit. *Secundò* ex ipsa S. Scriptura, Psalm. CXIX. 105. *Verbum tuum lucerna est pedibus meis, & lux ad iter meum.* 2 Cor. IV. 4. *Quod si tectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum*

est.

est. 2. Petri I. 19. *Habemus firmissimum sermonem propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.* *Tertiò* ex consensu Patrum: Irenæus lib. 2. c. 46. ait *firmam de Deo notitiam non esse obfuscandam quæstionibus variis, & alia præter manifestata in scriptura perfecta non esse investiganda.* Tertull. de resurr. Carnis, *Aufer hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt, ut de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum, & familiaritas opinionum, eoque fideliores existimantur, quia nuda & aperta, & omnibus nota definiunt.* Præclarissimè autem Lactantius Divin. Instit. lib. 6. cap. 21. scribit: *Num Deus & mentis & linguæ artifex disertè loqui non possit? Imò verò summa Providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligant, quæ ipse omnibus loquebatur.* Constantinus M. Imp. apud Theod. l. 7. *Libri* (inquit) *Euangelistarum & Apostolorum, quin & veterum Prophetarum oracula evidenter nos docent, quid de divino Numine sentiendum sit.* Ulterius meritò progreditur Theodoretus in Genes. quando scribit: *Audax facinus est asseverare illa, de quibus nihil expresse* (NB. i. e. explicitè, sine consequentia) *in scripturâ.*

Insufficientia traditionum probatur ex

Esaiæ XXIX. 13. Matth. XV. 9. *Frustra colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Deinde ex traditionibus aliquid probare, est ex propriis seu domesticis testimoniis argumentari, quod fatetur Thomas de Aquino p. 1. sum. q. 1. art. 8. ad 2. At enim quâ ratione demonstrent Pontificii aliis sectis, suas traditiones esse divinas, adeoque recipiendas, alias verò rejiciendas? Incertæ omnino sunt traditiones, atque dubiæ autoritatis, nec recipiuntur ab aliis sectis, ex his verò, quorum autoritas incerta est, nihil certi unquam elici potest. Nec minus ridiculè mihi procedere videtur, qui ex suis traditionibus aliis sectis veritatem suorum dogmatum demonstrare conatur, quemadmodum Pontificii Iudæis & Paganis S Trinitatem, quam nec ex ratione, nec ex S. Scripturâ probari posse ajunt, ex suæ ecclesiæ traditionibus non scriptis probare volunt; quàm siquis Gallus controversias Regis Galliæ cum Rege Britanniæ ex Gallorum merâ lege civili decidi suaderet; cùm potius illæ decidendæ sint ex communi jure naturæ & gentium, ab utraque gente recepto. Non secus quælibet secta alteri veritatem suæ doctrinæ demonstrare tenetur vel ex lumine rationis naturalis, idque in quæstionibus scientificis; vel in mysteriis, rebusque fidei ex S. Scriptura, si utraque disputantium pars eam pro indubitato Dei verbo agnoscit. Ipsa autem Scriptura sacra, & præter eam Iose-

phus, ac Patres, Justinus, Epiphanius, Hieronymus, reprehendére Pharisæos, suas jactantes traditiones. Idem docet Irenæus, qui id non solùm de Basilidianis & Carpocratianis, sed & in genere de omnibus hæreticis affirmat. Tertullianus, Epiphanius & Augustinus, scribunt Gnosticos, Montanistas & omnes insipientissimos hæreticos, qui se Christianos & Catholicos dici volunt, scripturam imperfectam dicere, & audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione euangelicæ sententiæ colorare conari, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palam docere atque prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus. Hic observet Lector, Pontificios eadem ratione disputare contra Arianos, quâ olim Montanistæ contra Patres Antenicænos. Montanistæ, pariter ac Pontificii, confitebantur S. Trinitatis coæqualitatem & coæternitatem, testibus Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, Nicephoro, quibus ex Pontificiis suffragatur Petavius & ex parte Baronius, ex nostratibus Bugenhagius. Patres non secus ac Ariani eam negabant. Patres ex Montanistis petebant demonstrationem doctrinæ eorum ex scriptura; idem ex Pontificiis petunt Ariani. Montanistæ respondebant Scripturam esse imperfectam,

fectam, nec rectè habere, & variè esse dictam, neque posse veritatem ex his investigari ab his qui nesciunt traditionem, quam Salvator noster indigitaverit dicens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ nunc non potestis bajulare.* Idem iisdem verbis Arianis respondent Pontificii. Patres regerebant traditiones præter scripturam nullius esse momenti. Idem Pontificiis regerunt Ariani. Ut autem pleniùs videas, Lector erudite, quo loco Patribus fuerint traditiones, sequentia de iis testimonia ex illis excerpta tibi proponam. Justinus Martyr ad Tryphonem Judæum ait, *aßistenti tibi probabo non variis nos credidiße fabulis, nec demonstratione carentibus assertionibus*: & epist. ad Zenam & Serenum: *de quorundam prout eorum fert præsumptio, institutione & disciplina, sed præter rationem suscepta illa & inutili, juxta traditionem hominum, quasi hæreditario ab eis jure occupata, persimilia Pharisæis & sentientibus & facientibus in epistola ad Papam diligenter & accuratè disserui.* Irenæus lib. 3. cap. 2. *Hæretici cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, nec sint ex authoritate, & quia variè sunt dictæ, & quia non poßit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem.* Tertullianus lib. de præscript. *Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & siquas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit,*

pit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit, & illud Apostoli semper obtendit, Omnia examinate, quod bonum est tenete. Origenes tract. 26. in Matth. *Animæ seductæ,* inquit, *ab eo Verbo falso, qui stat in loco sancto, per falsam traditionem dogmatum perversorum, abominationis illius susceperunt væ, quod à Domino factum est. Omnis enim qui audit verba iniquitatem in excelsum loquentium, & suscipit ea in diebus ejus, ille abominatione desolationis subditus sit.* Cyprianus epist. ad Iubajanum, *Frustra,* ait, *quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo sit major veritate.* item ad Quintinum: *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Inter sententias episcoporum Concilii Carthag. Felix à Bussacenis: *Nemo,* inquit, *consuetudinem rationi & veritati præponat.* Præ cæteris autem hic transcribi & legi merentur, quæ perpulcrè in hanc rem scripsit Lactantius lib. 2. cap. 6. *Hæ sunt religiones, quas sibi à majoribus suis traditas, pertinacissimè tueri, ac defendere perseverant: nec considerant quales sint, sed ex hoc probatas, atque veras esse confidunt, quòd eas Veteres tradiderunt: tantaque est autoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse ducatur. Itaque creditur ei passim, tanquam cognitæ veritati.* —— *Docet ecce te ratio, non esse veras religiones deorum. Quid facies? Majoresne potius,*

an

an rationem sequeris. ——Si rationem mavis: discedere te necesse est ab institutis, & auctoritate majorum: quoniam id solum rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas majores sequi suadet: fateris igitur & stultos illos fuisse, qui excogitatis contra rationem religionibus servierint, & te ineptum, qui id colas, quod falsum esse convinceris. & cap. 7. *Quare oportet sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientiâ quoque antecesserunt: quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Quare cùm sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum: Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur: aut illi desipuerint, quia majores nominantur:* & lib. 5. cap. 19. *Quid aliud dicam, quàm miseros, qui prædonum suorum instigationibus parent, quos Deos esse opinantur? quorum neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem sciunt; sed inhærentes persuasioni vulgari libenter errant, & stul-*

titiæ ſuæ favent. A quibus ſi perſuaſionis eius rationem requiras, nullam poſſunt reddere; ſed ad majorum judicia confugiunt, quod illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint, quid eſset optimum, ſeque ipſos ſenſibus (NB) *ſpoliant, ratione* (NB) *abdicant, dum alienis* (NB) *erroribus credunt. Sic impliciti omnium rerum ignorantia, nec ſe nec deos ſuos nôrunt.* &c. Denique & hinc traditionum infirmitas agnoſcitur, quod traditionibus traditiones opponi poſſunt: ita Tertull. de vel. virg. *Nolo*, inquit, *hunc morem veritatis deputare. Conſuetudo ſit tantiſper, ut conſuetudini etiam conſuetudinem opponam.* Concilium Ariminenſe Nicæno Ariani opponebant: adeò ut Auguſtinus, cum videret ſe autoritate Concilii Nicæni contra Maximinum epiſcopum Arianorum nihil poſſe proficere, in hæc contra eum lib. 3. cap. 14. eruperit verba: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus, nec tu illius autoritate detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certet.*

His dictis Pontificiorum machinationibus permotus Chriſtophorus Sandius, ſolidiſſimè probavit omnes Patres trium primorum ſeculorum eadem cum Ario docuiſſe ac tradidiſſe, adeòque dogma de S. Trinitatis coëſſentialitate, coæternitate & coæqualitate

litate minimè poſſe probari ex traditione Apoſtolica, ut Pontificios reduceret ad priſtinam reverentiam S. Scripturæ debitam: hæc verò ejus ſunt verba Nucl. Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. ſeculo 4. pag. 156. *Iſta ſunt quæ me permoverunt, ut probarem Patres omnes eadem cum Ario antè docuiſſe. Ideoque Pontificiis perſuadere volui, ut ſolam ſcripturam credendorum normam agnoſcerent, quia ex traditione Doctorum trium primorum ſeculorum nequeant probare maximos ſuos articulos fidei, ſcil. Trinitatis conſubſtantialitatem & coæqualitatem. Quomodo enim illud queat eſſe ex traditione apoſtolica, quod demum quarto ſeculo patefactum & conſtitutum ait Dionyſius Petavius? an verò traditio non ſcripta potuit adverſari traditioni ſcriptæ?* Rectiſſimè. Nam non eſt alius modus cognoſcendi traditionem non ſcriptam trium priorum ſeculorum; niſi per traditionem ſcriptam in eorundem ſeculorum Patrum operibus. Quis enim credat traditionem non ſcriptam fuiſſe contrariam traditioni ſcriptæ? An veriſimile eſt, Patres aliud crediſſe, aliud ſcriptis ſuis edidiſſe? Adeoque hæc traditio non poteſt dici Apoſtolica; imò nec Catholica: quia non tradita fuit *ſemper, ubique* & *ab omnibus*, prout τὸ *Catholicum* definit Vincentius Lirinenſis. Ita ſtatim poſt apoſtolos, imò ipſis apoſtolis adhuc viventibus lupi ſub ovium pellibus, i. e. hæretici ſub ſpecioſo titulo pa-

trum sive doctorum se insinuarunt in ecclesiam. Neque immeritò dixi solidissimè probâsse Sandium, omnes Patres Antenicænos idem cum Ario antè tradidisse. Quid enim solidius, quàm id probare ex sententiis ipsorum Patrum, ut & tam ex Pontificiis, quàm ex Protestantibus, seu Lutheranis, seu Calvinianis, qui idem de Patrum sententiis memoriæ prodiderunt. Quoniam verò heic contra Pontificios ago, potissimum eos ex domesticis tantùm testimoniis refellam. Ea autem ex Sandii opere repetere hic non inutile fuerit.

SECVLO I.

HERMÆ autoritatem D. Gerhardus nostras labefactaturus, ait in Patrologiâ, eum *habere indigna nonnulla de Spiritu sancto.* Imò ejus Pastorem Gelasius & Prosper apocryphum declarârunt, cujus rei rationem reddunt Sixtus Senensis Bibl. S. II. Pamelius annot. 158 in Cypriani, vel potius Ruffini Symb. Apost. & de la Cerda in Tertull. de orat. num. 128. quod cùm alii ad errorem suum defendendum, tum Ariani quoque, teste Athanasio epist. ad Episc. Afric. verbis ejus in primo præcepto secundi libri scriptis, ad probandum *filium Dei creatum ex non existentibus*, sive *ex nihilo*, uterentur. Conf. Carolum Bovium in Schol. lib. 3. cap. 17.

Const.

Conſt. Apoſt. allegand. ſub Ignatio. Et quod in eo extat *Semen humanum ditatum eſſe à Deo cum Filio Dei*, Arianiſmum ſapere obſervavit Sixtus Senenſis d. l.

AUTHOREM CHRISTIANUM τȣ͂ λόγȣ τελείȣ ait Petavius Arianis præluſiſſe.

PHILONEM ait Petavius, ſuis de Filio Dei præconiis, Arianorum armâſſe perfidiam.

CLEMENTIS ROMANI epiſcopi autoritatem Pontificiis enervant ex noſtratibus Gerhardus, Botſaccus & Henricus Nicolai, ſcribentes Clementem Rom. docuiſſe, *Filium aliquando non fuiſſe, & Deum aliquando non fuiſſe Patrem.* Imò & Pontificii non mitius ſentiunt de Clemente Romano, quem autorem Conſtitutionum Apoſtolicarum, ait primus earundem interpres Bovius, *de Spiritu S. exiliter loqui, de Verbo quoque duriores interdum fundere voces, aliquando apertam falſitatem agnoſcit.* Waſtelius Vindic. oper. Io. Hieroſ. lib. 2. ſect. 3. art. 3. coroll. *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, ait, *ſubtiliter loquuntur dogma Arianum.* Huetius Origenian. lib. 2. cap. 2. q. 2. n. 10. & c. 3. n. 6. ait Clementem Romanum *falſa & abſurda commentum eſſe de Trinitate.* Confer Bovii teſtimonia infra ſub Ignatio alleganda. Propterea Petavius refert eum inter illos, qui idem quod Arius antè tradiderunt. *Ubi ergò tum fuit infallibilitas in fide Pontifi-*

cis Romani? commodum ſubjicit Sandius. Illud adhuc monendum, ex Reformatis Uſſerium egiſſe de Arianiſmo Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 12 & 15 Prolegom. in Ignatium.

IGNATII epiſcopi Antiocheni autoritatem non infelici conamine Pontificiis extorquere conatur ex Lutheranis Eraſmus Brochmand, quando ſcribit contra Chriſtian. Wilhelm. p. 1. c 1. m. 3. ſ. 1. n. 6. (4. 5.) Ignatium *Filium Dei* vocare *eſſentiam genitam*, deinde docere *non Filium, ſed ſolum Patrem eſſe Deum ſuper omnia*. Ex priori ſequi ait, aliam eſſentiam eſſe Patris, aliam Filii, quia Patris eſſentia eſt ingenita; poſteriorem autem doctrinam adverſari D. Paulo, Rom. IX. 5. Henricus Nicolai in Methodo Trinit. ſcribit, Ignatium duo *de Filio* negare, primò *quod ſit ſummus Deus*, ſecundò *quod ſit Pater*: idem repetit in apolog. §. 54. Ignatii ſanè verba ſunt in epiſt. ad Tarſenſes, *miniſtros Satanæ docere, quod Chriſtus ſit Deus ſuper omnia*: quam ſententiam ex Reformatis Robertus Cocus in cenſurâ Ignatii, rectè agnoſcit non eſſe hæreſin, ſed ipſiſſimam veritatem: quare non immeritò de Ignatianarum epiſtolarum Arianiſmo egére Uſſerius proleg. c. 12 & 15 in Ignatium, & Dallæus in Ignatianis. Hæc veritas tanta eſt, ut ea compulerit etiam Bovium ſcribere, in Scholiis in lib. 3. cap. 17. Conſtit. Apoſt. *Auctoritas principii, ſive excel-*

excellentia causæ effecit, ut prisci illi omnem eminentiam soli Deo Patri tribuerint, (eum solum Deum super omnia nominando.) & paullò pòst: *Auctoritatem principii in Patre considerantes prisci illi, omnem dignitatem ei soli tribuere videntur. Multa enim hujusmodi in Clemente legimus, in Pastore, Ignatio, Justino, atque aliis, qui ante Arianam hæresin vixerunt.*

SECULÒ II.

JUSTINI MARTYRIS autoritatem Pontificiis eripit Molinæus, quando Nov. Pap. scribit, Justinum errâsse, quando *gloriam Patris facit gloriâ Filii majorem*, dum ait, *Patrem non posse, ut Filium, relinquere cœlum, & in parva terrræ parte apparere, nec descendere vel ascendere, nec loqui ad quenquam, nec visibilem fieri posse.* Verùm ipsi Pontificii satis flocci faciunt autoritatem Justini, quando Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. § 10. scribit, *insinceram de Trinitate* fuisse Justini *doctrinam,* & § 25. Justinum docere, *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur:* & c. 3. sect. 6. ait, eum *falsa & absurda de Trinitate* commentum. Quamobrem Petavius eum accenset iis, qui idem quod Arius ante tradiderunt. Confer Bovii testimonium supra ad Ignatium allegatum. Et vide infra Theophilum Antiochenum.

TATIANI *insinceram de Trinitate fuisse doctrinam*, scribit Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. § 10. & § 25. eum dixisse. *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur.* Quare & hunc Petavius accenset iis, qui idem quod Arius antè tradiderunt. Vide infra Theoph. Antioch.

ATHENAGORAM docuisse *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur*, scribit Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. § 25. & c. 3. sect. 6. addit, eum *falsa & absurda de Trinitate* commentum esse. Et idcircò Petavius eum non immeritò dignum judicavit, quem numeraret inter eos, qui idem quod Arius antè tradiderunt. Vide infra Theophil. Antioch.

THEOPHILI ANTIOCHENI episcopi autoritatem ademere Pontificiis ex nostratibus Centuriatores Magdeburgenses, dicentes, eum seculi istius vulgaribus nævis laborâsse, scilicet *de* λόγῳ (ajunt) *valde periculosa loquitur, propemodum Arii deliria resipientia. Nam Christum ait tum primum esse genitum, quando Pater ipsam conditionem mundi jam vellet aggredi, sicuti antea constituerat*: cap. 10. & cap. 4. de eodem, *Videtur*, inquiunt, *non sentire Verbum seu*

Fi-

Filium Dei prius genitum esse, quàm cùm per eundem suum Filium, Pater æternus mundum universum condere vellet. Sic enim scribit: —— *item,* —— *Quæ verba quid aliud volunt: quàm Christum non fuisse ab æterno personam distinctam à Patre, & fuisse aliquando, quando non fuerit? quemadmodum perniciosè luserunt Arius & Samosatenus, quos non dubium est, semina blasphemi sui erroris, ex talibus doctorum sententiis esse mutuatos.* Erasmus Brochmand fatetur scripto contra Christ. Wilhelm. p. 1. c. 1. m. 3. sect. 2. n. 4. (1.) *Theophilum cum Ariò docere, Filium Dei tum demum esse generatum, cùm Pater universa creare voluit.* Gerhardus Patrolog. *Propendet*, inquit, *Theophilus Antiochenus in partes Arianorum.* Ex Reformatis Mornæus præf. lib. de Euchar. *Cum* (ait) *nemo ex Patribus non erraverit: multi in fide: nonnulli usque ad hæresin: & nos igitur cum Irenæo Chiliastas, cum Tertulliano Montanistas, cum Cypriano Anabaptistas, cum Theophilo Arianos, cum Fausto Pelagianos, cum Origene omnibus erroribus, hæresibus pervios esse oporteat: cum Hilario corpus Christi doloris incapax profiteri, Spiritus Sancti deitatem diffiteri.* Abrah. Scultetus probat in Medulla Patrum; Theophilum *Arianismo infectum* fuisse, & *Verbi æternitatem negasse.* His rationibus compulsus Huetius Origen.

lib. 2. c. 2. q. 2. §. 10. *insinceram* scribit fuisse Theophili Antioch. *de Trinitate doctrinam*, & §. 25. ait eum docere, *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur.* c. 3. §. 6. ait, *falsa* eum *&* *absurda de Trinitate* commentum esse. Petavius refert, *Theophilum λόγον Patri nec coæternum, nec ὁμοούσιον, sed minorem cum Iustino, Athenagora ac Tatiano putare.*

IRENÆI episcopi Lugdunensis autoritatem infregere Centuriatores Magdeburgenses, quando mirantur, quòd Spiritum sanctum nunquam Deum dixerit. Petavio numeratur inter eos, qui idem quod Arius antè tradiderunt: & Perronius lib. 2. cap. 5. obs. 4. de Euchar. contra Mornæum, refert Irenæum talia dixisse, quæ qui hodie diceret, pro Ariano reputaretur.

CLEMENTIS ALEXANDRINI presbyteri autoritatem labefactavit ex Reformatis Sylburgius, cùm in annot. sub finem de eo scribit: *Scripsit & docuit Christum esse creaturam.* Neque verò id ipsum negant Pontificii. Nam Turrianus eum cum Ario *malè de Filii Dei consubstantialitate sensisse* scribit. Et Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. §. 10. ait, *indigna & intoleranda de Trinitate* profudit Clemens Alex. *Nam* (addit) *Filii substantiam à paterna ita secernit, ut inferiorem eam statuat.* Unde & hunc Petavius accenset iis, qui idem quod Arius antè

tra-

tradiderunt. Omnibus jam memoratis Patribus applicandum eſt, quod D. Calovius contra Crell. §. 725. ſcribit, conſtare neminem ante Tertullianum tres perſonas in una eſſentia dixiſſe, rationemque perſonæ explicuiſſe.

SECULO III.

TERTULLIANI presbyteri Carthaginenſis autoritati ſe oppoſuere ex Reformatis Daniel Toſſanus in Synopſi de Patribus ſcribens: *Tertullianus in libro contra Praxean, periculoſis phraſibus utitur, ut cùm ſcribit,* ,, Patrem tota ſubſtantia Deum eſſe, Filium *derivatione & portione aliqua deitatis* ,, : & Jurius miniſter & profeſſor Sedanenſis, in Apologia Reformat. contra Arnoldum cap. 15. refert, Tertullianum, cùm adhuc eſſet orthodoxus, inſtar Ariani ſcripſiſſe, *filium Dei eſſe creaturam*, & contra Hermogenem probaſſe, *nullo modo fuiſſe æternum, ac proinde habere initium.* Olim quoque Benedictus Aretius hiſtor. Valent. Gentilis, c. 15. *Nos dicimus* (ait) *Tertullianum adverſus Hermogenem non ſolùm lubricè loquutum, ſed etiam Arii phraſibus & verbis; quum ait:* ,, *fuit tempus quando filius non fuit* ,, : *quæ ſententia Gentili mirificè placet, ut qui Chriſtum Patre poſteriorem divinitatis gradu faciat. Sed eſt certè palàm Ariana ſententia,* ἦν ὅτε οὐκ ἦν, *de quâ jam diximus*

mus ex Niceph. lib. 8. *cap.* 8. Ex Lutheranis D. Gerhardus ὁ πάνυ Patrol. *Filium*, inquit, *statuit habuisse originem Tertullianus*. Nec excusant eum Pontificii, quin potius magis accusent, nam Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. § 10. scribit, *indigna & intoleranda de Trinitate* profudisse Tertullianum: & § 25. docuisse, *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur. At non in iis solùm,* (ait) *sed in aliis etiam ad Christi generationem, & Spiritus Sancti processionem pertinentibus, & hic quem dico Tertullianus, & alii plerique ex antiquissimis doctoribus, & Nicænâ Synodo anterioribus, Origenis impietatem dicam, an imperitiam, vel æquârunt vel superarunt.* Hæc & similia dogmata compulerunt Petavium, ut & Tertulliano locum daret inter eos, qui idem quod Arius ante tradiderunt.

ORIGENIS presbyteri Alexandriæ & Cæsareæ Palæstinæ autoritatem sustulerunt ex Lutheranis Erasmus Brochmand Anti-Christ. Wilh. p. 1. c. 1. m. 3. s. 3. §. 6. (4.) dum urget, Origenem docuisse, *Filium esse minorem Patre, & Spiritum S. minorem Filio*. D. Pappus histor. Eccles. cùm ait, Origenem *Filium & Spiritum S. statuere creaturas*. Calixtus dissertat. de duab. quæst. thes. 53. *Origenes*, inquit, *ab Epiphanio & Hieronymo arguitur prælusisse Arianismo.*

Quæ-

Quæ in ejus ſcriptis ſuere maximè enormia, à Ruffino ſublata eſſe creduntur. Verùm Pontificii ſe ultro abdicant Origenis patrocinio. Petrus Ravennas epiſt. ad Eutych. Thomas Aquinas p. 1. t. 2. d. 140: q. 44. a. 1. & Maldonatus in Ioh. I. 3. n. 60. Origenem vocant Arianorum Eunomianorumque patrem, promachum, principium ac fontem. Turrianus Ieſuita ſcribit Origenem cum Ario, *male de filii Dei conſubſtantialitate* ſenſiſſe: & Perronius lib. 2. cap. 7. de Euchar. contra Mornæum, ait *Origenem negàſſe divinitatem Filii & Spiritus Sancti.* Tandem etiam Bernardus de Lutzemburgo, Prateolus, Petavius & Huetius Origenem collocant inter eos, qui idem quod Arius antè tradiderunt. Maſſæus in Chron. tradit Arium Origenis hæreſin rebaptiſàſſe.

THEOGNOSTUM in eo quod dixit Filium creatum, ſeu creaturam, & ratione præditis tantùm præeſſe, Origenis aſſeclam vocat Huetius Origen. lib. 2. c. 2. qu. 2. § 25.

NOVATIANUM presbyterum Romanum, vel quicumque autor eſt libri de Trinitate, extantis inter opera Tertulliani, Petavius accenſet iis, qui idem quod Arius antè tradiderunt.

GREGORII THAUMATURGI, NEOCÆSARIENSIS epiſcopi patrocinio ultrò abdicant Pontificii. Huetius Origenian. lib. 2. cap. 2. qu. 2. § 10. 25.

Gre-

Gregorius Thaumaturgus, inquit, *Origenis & Arii deliramenta ſectatus, non habuit ſatis purum & integrum de Trinitate ſenſum, quia filium apertè creatum & factum prædicavit.* & c. 3. §. 6. ait eum *falſa & abſurda de Trinitate* commentum eſſe. Quare & hunc collocat Petavius inter Ariani dogmatis præluſores.

CYPRIANI epiſcopi Carthaginenſis inter opera reperitur tractatus de ſingularitate clericorum, quod genuinum Cypriani opus eſſe probat Baronius. Verba quæ in eo leguntur, *Chriſtum non auſum eſſe ſe comparare Deo, nec eſſe illi æqualem, ſed Patrem majorem, quia ipſe Chriſtus dicat: Pater major me eſt*, Arianiſmum ſapere agnoſcit Huetius Origen.. lib. 3. append. n. 12. additque: *Rapinam nempe arbitratur, Chriſtum eſſe æqualem Deo; tantum diſcriminis Chriſtum inter & Deum eſſe, quantum apoſtolos inter & Chriſtum.* Præterea ſcripſit, *Verbum juſſum eſſe à Deo Patre, facere omnia, quæcunque ſunt, & Chriſtum Veritatem habere non ſolùm Patrem, ſed & Deum & Dominum, qui eſt pater ejus, & ob id Chriſtum dicere Patrem ſe majorem, à quo clarificari petierit, cujus voluntatem uſque ad obſequium bibendi calicis & ſubeundæ mortis impleverit. Aliter ſentientes blaſphemare Deum Patrem. Chriſtum ex ore altiſsimi procreatum eſſe. Spiritum ſanctum Filio eſſe minorem. Dominum Patrem omnipotentem ſoli Filio conſpicabilem eſſe.*

DIO-

DIONYSII ALEXANDRINI episcopi autoritatem ultrò contemnunt Pontificii. Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. §. 10. 25. ait, eum *indigna & intoleranda de Trinitate* profudisse; nam *Filium Patris* ποίημα, i. e. creaturam & factum, *eique dißimilem* dixisse, & *alienum quoad substantiam à Patre, quemadmodum est agricola ad vitem: neque cùm creatura sit, fuisse antequam factus esset: & voces emisisse Spiritui parum convenientes:* & c. 3. §. 6. refert eum *falsa & absurda de Trinitate* commentum esse. Ideòque Dionysius Petavius etiam hunc sibi cognominem non immeritò iis accenset, qui idem quod Arius antè tradiderunt.

CONCILII ANTIOCHENI IV. episcopos D. Petavius etiam iis adnumerat, qui idem quod Arius antè tradiderunt.

PIERIUM presbyterum Alexandrinum Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. §. 10. scribit, *indigna & intoleranda de Trinitate* profudisse.

LUCIANUM presbyterum Antiochenum tradit Huetius Origen. lib. 2. c. 3. §. 6. *falsa & absurda de Trinitate* commentum esse. Et à Petavio refertur inter illos Patres, qui idem quod Arius ante tradiderunt.

METHODIUM primùm Olympi Lyciæ, deinde Tyri episcopum, ait Huetius Origen. lib. 2. c. 3. §. 6. *falsa & absurda de Trinitate* commentum esse. Et Petavius eundem pro-

dro-

dromis Arianiſmi accenſet. Poſſinus tamen *incommodas* ejus *de Trinitate ſententias* ex illius ſeculi more excuſat.

SECVLO IV.

LACTANTII auctoritatem infregit ex noſtratibus Eraſmus Brochmand Anti-Chriſt. Wilh. p. 1. c. 3. m. 3. ſec. 3. § 17. (1.) ſcribens eum docuiſſe, *Chriſtum nec æternum, nec Deum eſſe.* Idem de Lactantio ſentit D. Calovius, vir eruditiſſimus. Ipſe Petavius probat eum idem cum Ario antè docuiſſe. Rectè itaque Huetius Origen. lib. 2. c. 2. q. 2. § 10 ait, *indigna & intoleranda de Trinitate* profudiſſe Lactantium, & (§ 25.) dixiſſe *Deum, cùm mundi creationem meditaretur, Verbum ſuum protuliſſe, quo adminiſtro in rerum molitione uteretur.*

EUSEBII PAMPHILI CÆSARIENSIS epiſcopi autoritatem labefactat ex Euangelicis Eraſmus Brochmand contra Chriſt. Wilhelm. p. 1. c. 1. m. 3. ſec. 4. § 2. Inter Pontificios Melchior Canus loc. Theol. lib. 7. cap. 3. num. 7. Euſebium vocat fautorem Arii acerrimum. Idem ait Mar. Victor. Reatinus ſchol. in Hieron. adv. Lucifer. & Vigerius vocat maximum Arianum. Porrò Arianum fuiſſe fatentur tres Cardinales, nimirum Baronius a. 340. § 41. (ubi etiam addit, cum ſimplicitate quadam

dam & rerum inſcitia, in catalogum ſanctorum; & errore atque incuria in Martyrologium eſſe tranſlatum.) & a. 318. § 49. Bellarminus de ſcript. eccleſ. & Perronius lib. 3. cap. 2. contra Regem Iacobum. Ieſuita D. Petavius lib. 1. cap. 11 & 12. de Trinit. fuſè demonſtrat Euſebium Arianum, & Origenis dogmata cupidè amplexum fuiſſe. Petrus Lambecius lib. 1. Comment. de Bibl. Vindob. parte 2. in his ejus verbis, lib. 3. Eclog. Prophet. ind. cap. 1. περὶ σοφίας οὐσιωδῶς ὑφεστώσης καὶ πρὸ τῶν αἰώνων ὑπὸ τοῦ θεοῦ κτισθείσης, *de Sapientia eſſentialiter ſubſiſtente, & ante ſecula à Deo creata*; meritò apertiſſimum Euſebii Arianiſmum agnoſcit. Conſentiunt Poſſevinus in Apparatu, & Maſſæus in Chronico, Billius lib. 1. obſ. 23. & Franciſcus Maria Florentinius in Martyrologio. Et ob eandem procul dubio rationem Inquiſitio in Indice ex ſcriptis Floriani de Ocampo *ſancti* titulum nomini Euſebii Cæſarienſis præfixum tollit. Georgius Trapezuntius juſſu Nicolai V. libros de præparatione euangelica in latinum tranſtulit ita, ut ſentes Arianas, prout ipſe confitetur in Præfatione, amputaverit.

CONSTANTINVM MAGNVM, primum Imperatorem Chriſtianum probat Petavius cum Arianis ſenſiſſe.

Atque hi ſunt Scriptores Antenicæni, quibus addendi ſunt paulò recentiores Autores li-

librorum trium & commentariorum in Jobum, quæ in ORIGENIS operibus extant, & Operis Imperfecti in Matthæum, quod sub CHRYSOSTOMI nomine circumfertur; quæ opera omnium unanimi consensu dogma Arii apertissimè defendunt. Testimonia veterum Patrum de Arianismo Hermæ, Philonis, Clementis Romani, Clementis Alexandrini, Origenis, Theognosti, Gregorii Thaumaturgi, Dionysii Alexandrini, Pierii, Luciani, Eusebii Cæsariensis ac Constantini Magni, quorum ingens copia est, omisi. Qui ea scire desiderat, adeat ipsum opus Sandii.

Ex dictis sanè liquet, Arium suæ hæreseos autorem minime fuisse, qui etiam in Symbolo suo ait, *se fidem à majoribus suis accepisse*; adeoque Patrum antiquorum jactabat consensum, ut in disputatione à Vigilio composita, dicat: *Ergò Nicæni decreta Concilii lectione pandantur, & agnosces Athanasium vel hujus autores apostolicam fidem novorum adjectione verborum hactenus corrupisse, ut nos qui antiquis Patrum inhæsère doctrinis, ambitione regia usi censuerint feralibus relegandos edictis.* Et paulò pòst. *Nunquid Apostolos vel eorum discipulos atque omnes per ordinem successores, qui ad illud usque tempus in Christi confeßione viventes, ὁμοούσιον vocabulum ignorabant, impietatis sacrilegium in fidei veritate secutos fuisse dicemus, pro eo videlicet, quod hujus nominis notione privati, sine ipsius asser-*

assertione prædicationis perrexerunt ad Christum? Novimus etiam Arianos gloriatos de consensu Hermæ, Origenis, Dionysii Alexandrini, Concilii Antiocheni IV. Luciani ac Eusebii Cæsariensis.

Agnoverunt id olim, eoque argumento autoritatem Patrum contra Pontificios enervarunt, Centuriatores Magdeburgenses II. cap. 4 & 10. quando scribunt, *Arium, quod docuit Christum non fuisse ab æterno, sed fuisse tempus, quando non fuerit filius, ex veterum Doctorum sententiis esse mutuatum.* D. Abrahamus Calovius in Syncretismo Calixtino de fidei principio § 25 scribit: *Si de SS. Trinitate, quod summum ac primarium fidei mysterium esse fatentur adversarii, suffragia sint inquirenda ex unanimi consensu, reperientur non pauca apud Origenem, Theophilum Antiochenum, Lactantium, quædam etiam apud Tertullianum, fidei catholicæ adversa, ut alios taceam plures.* Danhawerus in Vale Triumphali p. 301 & 302. *Cœtus* (ait) *Arianus, Constantii Imp. coætaneus, qui Christo utique, ejusque apostolis originem suam imputavit, à qua stirpe successionem suæ doctrinæ laudavit. Spond. a. 356. 1. Successionis episcopalis gloriam sibi non sunt paßi eripi Eusebii Nicomediensis, & Cæsariensis, quorum ille Arianæ sectæ coryphæus audit apud Spondan. a. 318. 8. a. 335. 1. hic Arianismi convincitur novißimè à Petavio, tomo 2. lib. 1. c. 11. & 12. Eadem ratio aliorum episcoporum Ariana castra se-*

sequentium. Semper Verbum Dei proposuit (cœtus Arianus,) *suâ opinione purius longè Athanasianis, qui vocibus ἀγράφοις veterem religionem turbare ac innovare visi sunt.* Huc etiam facit, quod Ioannes Meisnerus scribit tract. de Origene & Origenianis, § 75. *Quodsi illæ formulæ loquendi, qualescunque tandem attulerunt* (Hieronymus, Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, Iustinianus Imp. & Episcopi Concilii V. ex Origene, in demonstrationem Arianismi ejus,) *Arrianum faciunt Doctorem, nemo ante Concilium Nicænum orthodoxus fuerit necesse est, sicut paullò antè adductis similibus demonstravimus.* Henricus Nicolai Meth. Trinit. scribit *sententiam, Patrem Filio antiquiorem esse, & Deum aliquando non fuisse Patrem, Filium habere initium, & aliquando non fuisse, Ario quidem tribui, sed ex Tertulliano, Lactantio aliisque Patribus patere, antiquiorem Ario esse.* Et Apol. pro Meth. Trin. d. 56. *Ad Arii,* inquit, *sententiam id* (verba scilicet Clementis Alex. 6. Stromat.) *detorquere non opus. Vetustior Ario sententia deprehenditur, non prima & propria ipsi, quasi ille primus autor. Et Clemens Romanus id dixit, illum Gerhardus etiam citavit: ut & Theophil. Antioch. ut Meth. p. 28, 29 dictum. Qui omnes Ario vetustiores.* Inter Reformatos Iurius minister & professor Sedanensis Apol. Reformat. contra Arnoldum cap. 15 scribit: *Inter scriptores trium primorum seculorum nul-*

lus est, qui non usus fuerit terminis, qui videantur exprimere inæqualitatem inter Patrem & Filium.

Quid verò ad hæc Pontificii? Incauti, incuriosi, imprudentes, inscii quantum malum sibi parent, rei veritate compulsi, ultrò idem profitentur. Bovius schol. in lib. 5. cap. 17. Const. Apost. *Auctoritas principii*, inquit, *sive excellentia causæ effecit, ut prisci illi omnem eminentiam soli Deo Patri tribuerint*, (eum solum Deum super omnia nominando.) & paullò pòst: *Auctoritatem principii in Patre considerantes prisci illi, omnem dignitatem ei soli tribuere videntur. Multa enim hujusmodi in Clemente legimus, in Pastore* (Hermæ,) *Ignatio, Iustino atque aliis, qui ante Arianam hæresin vixerunt.* Turrianus Iesuita scribit: *Erroris de minoritate filii Arius inventor non fuit; imò nec Origenes, nec magister ejus Clemens Alexandrinus, qui malè etiam de Filii Dei consubstantialitate aliquando senserunt.* Petavius de Trinit. lib. 1. cap. 5. §. 7. *Igitur* (ait) *nonnullis veterum illa de divinitate, ac personarum in eâ diversitate insederat opinio, Unum esse summum ingenitum, neque aspectabilem Deum, qui λόγον ex sese foras produxerit vocalem & sonantem: nec tamen vocis instar, sonique transeuntem ac dissipabilem, sed ejusmodi ut velut corporatus ac subsistens, cætera deinceps efferret. Tum autem à supremo Deo ac Patre productum esse, cum hanc rerum*

universitatem moliri statuit, ut illum velut administrum haberet. Quam sententiam alii clarius, obscurius alii significant. Sed isti fere, Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus & Lactantius: tam ii verò, quàm reliqui quos commemoravi, (commemoraverat autem præter dictos, Iustinum Martyrem, Irenæum, Clementem Romanum & Alexandrinum, Dionysium Alexandrinum, Gregorium Thaumaturgum, Methodium, Lucianum Antiochenum, Sex episcopos ad Samosatenum scribentes, Novatianum,) *ut Origenes, ævo, dignitate ac potentia superiorem Verbo Patrem arbitrati sunt: ac tametsi de Patris esse substantia sive natura Filium assererent, qua una re à cæteris, quæ creaturæ propriè vocantur, illius conditionem diversam faciebant, non minus tamen quàm cæteras creaturas initium habuisse, hoc est minimè ex æterno distinctam hypostasin fuisse putàrunt.* & cap. 8. § 2. *Planissimè constat, Arium germanum Platonicum extitisse, tum illorum veterum secutum esse dogma, qui nondum patefacta constitutaque re, ad eundem errorem offenderunt. Nam & illi productum à Deo Patre Verbum, non tamen ex æternitate, docuerunt, sed antequam mundum fabricaret, ut illo administro ad hujus molitionem operis uteretur. Non enim per sese ac sine interjecto aliquo procreasse putabant omnia, quod & Philo in libro de opifice mundi secutus est. Quamobrem quòd Arium illius dogmatis archi-*

tectum

tectum fuisse, cujusmodi hactenus auditum non erat, Alexander in epistola queritur, aliique Patres, qui contra hanc hæresim scripsère, oratorio more & per exaggerationem dici arbitror. Siquidem magna est à nobis producta copia priscorum, qui idem quod Arius antè tradiderunt. cap. 3. § 3. *non dubitavit asserere, ὀσίαν ab ὑποστάσει usu saltem esse distinctam, nec essentiæ sive ὀσίας unitatem, hypostaseon Trinitatem ab antiquis usurpata esse ante Nicænum Concilium, neque nisi patefacto, illustratoque post Arianam procellam dogmate illo, scribi potuisse. Præsertim cum constet vocem hypostasis, non modò ante Nicænum Concilium, sed ne ab ipsis quidem Nicænis Patribus aliter fere acceptam esse, quàm pro ὀσίᾳ & substantia, rarißimè verò pro persona & proprietate διακριτικῇ.* Conf. lib. 4. cap. 1. & Pan. Epiph. hær. 69. Num. 6. Huetius Origenian. lib. 2. c. 2. q. 2. § 10. ita scribit: *Favorabilior erit pro Origenianis partibus præscriptio, quæ ex paribus in eodem argumento Patrum aliorum locutionibus peti potest. Inter Christianos quippe doctores, qui ante Nicænam floruerunt Synodum, multi de Trinitatis mysterio parum cautè locuti sunt. Insincera certè fuit Tatiani, & Tatiano vetustioris Iustini de Trinitate doctrina. In eandem venit criminationem Pseudo-Clemens, venit & Theophilus Antiochenus. Indigna verò & intoleranda profuderunt Tertullianus & Lactantius; Clemens quoque, Dionysius &*

Pierius, Alexandrini; aliique complures. Itaque cum Origenem hoc argumento tuetur Bellarminus, quod sana & orthodoxa fuerit præceptoris illius Clementis, discipulorum Dionysii Alexandrini, & Gregorii Thaumaturgi de mysterio sanctæ Trinitatis opinio; credibile quippe esse, quam à Clemente doctrinam acceperat, eamdem à se excultam discipulis suis tradidisse; nihil profectò Originianæ causæ contrarium magis dicere potuit. Nullius enim ex his tribus satis puri fuerunt & integri de Trinitate sensus: nam & Filii substantiam à Paterna ita secernit Clemens, ut inferiorem eam statuat: Dionysius verò Alexandrinus Filium Patris ποίημα, eique dissimilem esse dixit, & voces Spiritui parum convenientes emisit: inquit Basilius epist. 41. à quo castigatus quoque est Gregorius Thaumaturgus, quod Filium apertè creatum prædicaverit. Adeò ut parum attentum fuisse Anastasium Bibliothecarium putandum sit, cum ait in Historia, laudes Gregorii Thaumaturgi silentio pressisse Eusebium, quod ab Origenis & Arii deliramentis prorsus fuerit alienus: cùm & hæc deliramenta sit sectatus, nec laudibus eum Eusebius fraudaverit. Constat denique, ne Basilii quidem temporibus, ac recentioribus etiam, Spiritûs sancti divinitatem apertè profiteri ausos esse Catholicos, ne Pneumatomachorum petulantiam experirentur, &c. Et § 25. *At non in iis solum, sed in aliis etiam ad Christi generationem, & Spiritus sancti processionem perti-*

pertinentibus, & hic quem dico Tertullianus, & alii plerique ex antiquissimis Doctoribus, & Nicæna Synodo anterioribus, Origenis impietatem dicam, an imperitiam, vel æquarunt, vel superarunt. Iustinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, ipse Tertullianus & Lactantius, Deum dixerunt cum mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo administro in rerum molitione uteretur. Gregorium quoque Thaumaturgum Filium dixisse creatum & factum tradit Basilius epist. 64. Leguntur & ista Dionysii Alexandrini, quæ sunt singularis væcordiæ, Filium Dei esse opus & factum, alienum quoad substantiam à Patre, quemadmodum est agricola ad vitem. Demum subjicit: Etenim utpote qui sit opus, non erat antequam factus esset. Theognostum etiam Alexandrinum Origenis asseclam libro Hypotyposeon secundo dixisse narrat Photius Filium esse creatum. Item cap. 3. § 6. *Multum etiam ad defensionem Origenis confert Patrum aliorum exemplum, quibus errores aliqui exciderunt humanitus, quàmvis orthodoxam in aliis tenuerint fidem, & inter orthodoxos positi sint. Nam ut alios brevitatis causâ prætermittam, quot recensere possumus, nulla hæreseos suspicione aspersos, & de Trinitate tamen falsa & absurda commentos? Venient in hunc ordinem Iustinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Romanus, Gregorius Thaumaturgus, Methodius, Lucianus, & Origenis præcipuè*

 disci-

discipulus Dionysius Alexandrinus, *quem idcircò Anomœorum Parentem appellat Basilius epist.* 41. *&* *Arianismi fontem Gennadius lib.* 2. *de Dogmat. cap.* 2. Eadem scripsit de Patribus sub personâ Arii Forerus, & ex eo Vitus Erbermannus in Dialogis suis inter Lutherum & Arium, quos vide: foret enim longum nimis omnia describere. Falsissimum itaque est, quod Walenburgii in tract. de contr. 1. exam 4. & tr. 2. p. 1. § 9. dicunt esse principium catholicum, doctrinam Christianam primorum seculorum, quæ in libris SS. Patrum, vel antiquorum Conciliorum continetur, esse incorruptam saltem quoad articulos fidei ad salutem necessarios. Fallitur quoque Reverendissimus & summâ eruditione conspicuus, Doctor Hammondus, episcopus quondam Anglicanus, quando autoritatem Patrum, ex quibus Protestantium doctrina confirmari queat, tribus primis seculis limitat: de schism. c. 8. sect. 7. & c. 9. sect. 7. Quales enim fuerint Patres trium primorum seculorum ex dictis & dicendis perspicuum est. Hæc Sandius Nucl. p. 70, 71, 141, 142, 143, 144.

Præter prædictos Patres, sex alios producit Sandius, nempe ex Seculo II. Polycarpum & Melitonem Sardensem; & ex Seculo III. Hippolytum martyrem, Victorinum Pictabionensem, Pamphilum & Arnobium; de quorum Arianismo nulla vel veterum, vel recentiorum sunt testimonia.

POLYCARPVS Smyrnæorum episcopus videtur idem cum Ario sensisse, tum quia Christum distinguit à Deo, Patremque Christi Deum dicit; tum quia in oratione apud Euseb. hist. IV. 15. more Arianorum dixit: *per quem* (Filium) *tibi* (Pater) *cum illo in Spiritu Sancto sit gloria & nunc, & in futura secula, amen*: cùm Catholicorum doxologia esset, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Quod si cui hæc nimis infirma videantur, is meminerit, nihil in Polycarpi epistola vel oratione contineri, ex quo probetur contra Arium sensisse.

MELITO Sardensis episcopus probatur cum Ario sensisse, quia scripsit: *Non sumus lapidum sensu carentium cultores, sed solius Dei, qui est ante omnia, & super omnia, & super ipsum Christum, qui verè est Dei Verbum ante secula, adoratores sumus.* Et hoc est solum fragmentum, quod in Chronico Alexandrino græcè editum ex omnibus Melitonis operibus reliquum habemus.

HIPPOLYTVS, vel Portuensis, vel Metropolitanus Arabiæ episcopus, docuit *Patrem solum esse immensum & æternum, Filium paulò antè mundum conditum, omnium tenere dominatum, ipsius verò dominatum tenere Patrem, ut in omnibus unus Deus reperiatur, cui omnia subjecta sint, simul cum Christo, cui omnia Pater subjecit præter seipsum. Hoc enim Christum dixiße, sicut in*

Euangelio & patrem suum & deum confessus est. Ait enim sic: Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Patrem & Filium non unum esse secundum substantiam, sed virtute & affectione consensionis & concordiæ. Patrem mandare & velle, Verbum & Filium perficere, obedire & facere. Verbum per se, & sine carne, non fuisse perfectum Filium, cum tamen esset perfectum Verbum. Spiritum sanctum subjectum esse Deo Patri.

VICTORINI PICTABIONENSIS episcopi nihil habemus. Sandius dicit probabile esse eum in divinitate Spiritum S. Patri subjecisse. Forsitan, quia, nisi fallor, Hieronymo teste, nisi fallor, inquam, Patrem comparavit Isaaco, Spiritum sanctum Rebeccæ.

PAMPHILI presbyteri Cæsareæ Palæstinæ nihil habemus, siquid ab eo scriptum fuit. Sandius verisimile reddere vult, eum idem cum Arianis sensisse, his verbis. *Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt?* quæ sunt verba Hieronymi epist. ad Pammach. & Ocean. Plura vide apud Sandium.

ARNOBIUS docuit, *religiosum esse Deum ingenitum credere. Deum verum oportere nunquam esse genitum. Deum solum esse ingenitum. Unum esse rerum patrem, immortalem, atque ingenitum, solum, nihil-*

hilque omnimo ante illum. Sequi hos omnes, quos opinatio credidit Deos esse mortalium, aut ab eo eße genitos, aut eo jubente prolatos esse: & si prolati & geniti fuerint, posterioris esse ordinis & temporis: si ordinis posterioris & temporis, ortus necessariò habere, & exordia nativitatis & vitæ. Nôn esse verum Deum, qui habeat patrem, matrem, avos, avias, fratres, & nunc nuper in utero matris suæ formatus sit, decemque mensibus absolutus & consummatus, qui conceptus & natus muliebri alvo esset, qui annorum gradibus ad eum finem ascendißet ætatis. Deum enim omnipotentem non esse genitum, sed ingenitum. Deum solum, Deum omnipotentem, tunc demum emisisse Christum. Christum venisse in mundum, ut summi Regis imperium servaret.

CYPRIANUS quoque episcopus Carthaginensis, à Sandio productus, inter hos Patres proximè post Hippolytum referendus videatur: quia nullum de ejus Arianismo extat testimonium. Vide de eo quæ supra dixi.

Incidi nuperrime admodum in opusculum Samuelis, nescio cujus, Gardineri, qui se dicit Regiæ Maj. Britann. à sacris, in quo contra Sandium in Pontificiorum Traditionariorum gratiam Patrum Antenicænorum apologiam contexuit, patrociniumque suscepit, sed infelici successu, ut eruditos fere judicare in ipsa Anglia audio.

Opus ipsum, in quo autor, termino hæretico, à Calvino etiam usurpato, expressè Filium αὐτόθεον dicit; duabus constat partibus, in priore producere prætendit testimonia Patrum pro Trinitatis consubstantialitate, coæqualitate & coæternitate. In posteriore nititur respondere ad testimonia Patrum à Sandio pro eorum Arianismo allegata. In priore parte pleraque omnia labore supervacuo saltem contra Socinianos, non contra Arianos producuntur: cùm tamen nemo dicat, Patres, idem quod Socinus, antè tradidisse. Nihil contra Arianos ex Clemente Romano, Polycarpo, Hippolyto, Arnobio. Nihil omninò ex Herma, Autore τοῦ λόγου τελείου, Philone, Melitone, Novatiano, Victorino, Pierio, Luciano, Methodio, Eusebio, Constantino M. Præterea allegat sub Iustini nomine dubiam epistolam ad Diognetum, (cùm tamen ipse dicat *epistolarum vacillare authoritatem*:) sub nomine Gregorii Thaumaturgi spuriam fidei confessionem, (quam fallacem & suspectam probavit peculiari dissertat. eruditissimus D. Dorschéus, nostræ religionis contra hæreticos Romanos acerrimus vindex; & de quâ D. Bebelius Antiqu. Euang. art. 1. sect. 2. § 35. ita scribit: Simplicitatem & incogitantiam *in fratre suo Nysseno*, [qui eam primus edidit,] *ipse reprehendit Basilius epist.* 44. *Quis crederet, si in Symbolo isto mysterium* de Verbo, Patri ὁμοουσίῳ limpidissimè explicatum

catum & pertractatum fuisset, *ut ait Corn. à Lap. in argum. comm. in Ioann. f.* 246. *quod orthodoxi Homousiani non fuissent illo adversus Arianos usuri?*) allegat quoque supposititiam & perfidè versam Apologiam Origenis sub nomine Pamphili: perfidi Interpretis versionem Origenis commentariorum in epistolam ad Romanos; (de cujus operum perfidis versionibus necesse est, ut Lector adeat Sandii tractatum de veteribus scriptorib. ecclesiast. pag. 33, 34, 35.) ex Tertulliani operibus, quæ scripsit, cum incepisset in articulo de Trinitate cum Montano sentire orthodoxè. In libro de Trinitate sequitur corruptelas Gagnæi & Pamelii, quibus addiderunt voces *quodammodo*, *aliquo pacto*, *quadam ratione*; ut sensum Arianum mitigarent. Latinum textum allegat, ubi in græco sensus est contrarius: ita ex Origenis to. 1. in Ioann. allegat, *Verbum quod cum Patre universorum Deus est*, quod in græco legitur: τὸ μετὰ τὸν πατέρα τῶν ὅλων θεὸν, i. e. *Verbum quod post Patrem universorum Deum est.* In posteriore parte nihil omnino respondit ad testimonia vel sententias Arianismi à Sandio productas ex Herma, Autore λόγου τελείου, Philone, Polycarpo, Tatiano, Melitone, Hippolyto, Theognosto, Novatiano, Gregorio Thaumaturgo, Concilio Antiocheno, Victorino, Pierio, Luciano, Methodio, Eusebio, Constantino M. In aliis præcipuas difficultates præterit, v. g. in

Lactantio, quod dicit *Filium aliquando non fuisse.* Ineptum est, (salva ejus reverentia,) quod in Ignatio *ταυτὸν* (in quâ voce totus rei cardo vertitur) ait *masculino genere rectißimè verissimeque reddi.* Ineptius (ignoscat verbo duriusculo) quod in Tertulliano, quando scribit; *Erat tempus quando Filius non erat, qui Deum Patrem faceret*, per Dei filium autorem ait intellexisse mundum. Ineptissimum (ut id bona cum ipsius venia mihi dicere liceat,) quod Lactantium dicit scripsisse post exortos Arianos. Concludo cum verbis doctissimi D. Taylori, Regiæ Maj. Britann. Capellani ordinarii, quem ceu eruditiorem & magis orthodoxum meritò Gardinero & præpono & oppono, ejus verba sunt in Theologia Eclectica (allegata à Sandio Nucl. pag. 256.) Athanasius is put to make an answer, & excuse for the fathers speaking in favour of the Arrians, at least so seemingly, that the Arrians appeald to them for tryall, and the offer was declin'd. i. e. *Athanasius coactus fuit parare responsionem & apologiam pro Patribus scribentibus in favorem Arianorum, saltem tam apparenter, ut Ariani appellarent & provocarent ad eorum judicium ac sententiam, eorumque arbitrium minimè à catholicis acceptaretur.* Concludo, inquam, cum his verbis, quæcunque hactenus de Patribus scripsi. Scripsi autem, quæcunque de iis scripsi eo fine, tum ut falsum esse

esse probarem, quod Gardinerus Papizans scribit, *Arianos Patrum sententiæ in finiendis quæstionibus acquiescere minimè consensisse:* tum præcipue ut falsissimum demonstrarem, quod Bellarminus profitetur, *Arium non ex scriptura, sed ex non scripto Verbo damnatum fuisse. Etsi enim* (ait) *quædam scripturæ poterant afferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat scripturas, ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in ecclesiâ succedentium, fuisse damnatum.* Illud unicum adhuc addam, quod vel inde, quæ hactenus de Patribus dixi, confirmantur, quod ipsi, si aliter sensissent, ac eos sensisse diximus, sententiam Arianam, ceu Ario, ut vidimus, longè vetustiorem, vel in Concilio quodam condemnâssent, vel saltem in scriptis suis refutâssent, hæreticamque appellâssent: nobisque primum autorem, à quo hæresis ista denominanda foret, manifestâssent.

Porrò Patres Nicæni & Postnicæni, licèt contra Arium crederent Patris & Filii coëssentialitatem (& quidem specificam, qui inter eos credebant tres hypostases, numericam, qui unam,) & coæternitatem: coæqualitatem tamen non æquè credebant, nam Filium Patre minorem etiam secundum divinam naturam statuebant. Hi verò sunt

ALEXANDER ALEXANDRINUS episcopus apud Theod. I. 4. cujus verba fere sunt eadem cum iis, quæ in libello Synodico CONCILII SARDICENSIS, apud Theod. II. 8. & in fidei formula poster. CONCILII SIRMIENSIS apud Socr. II. 30. Sozom. IV. 5. atque in Confessione fidei OSII & POTAMII Sirmii conscripta, apud Hilarium lib. de Synodis, ita leguntur: *Constat nemini dubium esse, Patrem majorem esse honore, dignitate, deitate, & ipso nomine paterno etiam majorem esse: idque Filii ipsius testimonio dicentis: qui me misit Pater, major me est.* Quid? quod idem Alexander apud eundem Theodor. scribat: *Ego & Pater unum sumus, quod dicit Dominus, non Patrem se perhibens, neque duas illas substantiâ naturas unam esse manifestans, sed quod similitudinem paternam soleat accuratè referre filius.* Idem ibidem ait *Filium habere mediam inter ingenitam Patris, & creatam rerum aliarum naturam.* At quid id aliud est, quàm cum Ario & Arianis dicere, Filium habere aliam naturam à natura Patris. Ita Ariani quoque dicebant, Filium esse creaturam, sed non ut alias creaturas, esse genituram, sed non ut alias genituras. Ita & Arianorum prodromus Philo lib. quis rerum divin. hæres, Verbum in hunc modum introducit loquens: *Ego steti medius inter Dominum & vos, nec ingenitus existens, ut Deus ille,*

ille, nec factus sicut vos; sed medius inter extrema, utrisque colloquens. Videtur itaque Alexander τὸ ὁμοούσιον alio sensu, certè non numerico, accepisse.

ATHANASIUS episcopus Alexandrinus serm. 2. contra Arianos, & contra Apollinar. & dial. 1. de S. Trinit. In cujus scriptis genuinis vel indubiis nunquam memini legisse, *Filium esse æqualem Patri.*

C. MARIUS VICTORINUS 1. contra Arr.

HILARIUS PICTABIONENSIS episcopus lib. 3, 9, & 11. de Trinit.

PHOEBADIUS episcopus Agennensis contra Arianos.

GREGORIUS BETICUS in Hispania episcopus, de Trinitate & fide.

BASILIUS episcopus Cæsareæ Cappadociæ, lib. 1, 3, 4. adv. Eunom. lib. 3. Eversorum scribit, *pietatis doctrinam tradere filium secundum à Patre dignitate; Spiritum S. autem tertium dignitate, post filium secundum.* Quid? quod epist. ad Amphiloch. scribat: *Filius à Patre per nativitatem habet principium suæ essentiæ.*

GREGORIUS NAZIANZENUS, dictus THEOLOGUS, episcopus Constantinopolitanus, orat. 2. & 4. de Theol. & 35, 36, 40. Filium vocat *μεγάλου φωτὸς μικρὸν ἀπαύγασμα, magni luminis parvum splendorem.*

EPIPHANIUS episcopus Salamin. Cypri,

Cypri, in Ancor. num. 17. & hær. 69. num. 53. ubi tamen expressè negat Patrem Filio majorem *secundum circumferentiam aut molem, aut tempus, aut temporis partem, aut altitudinem, aut dignitatem, aut deitatem, aut immortalitatem, aut ætatem seu æternitatem.* Imò idem clarius hær. 65. *Filius Dei dicendo, Qui vidit me, vidit Patrem: Patrem Deum æqualem sibi ipsi dixit. Non est autem homo æqualis Deo, neque sicut Deus; sed in veritate genitus, ex Deo Patre Deus filius unigenitus*, &c. & in Ancor. *Trinitas ejusdem essentiæ, ejusdem substantiæ, ejusdem potentiæ, æqualitate gratiæ Patris & Filii & Spiritus sancti.* Hoc enim tempore orthodoxia Apostolica, quæ à temporibus Apostolorum violentiâ Antichristorum & luporum ingredientium in ecclesiam interempta, & quasi sepulta hactenus jacuerat, in Concilio Nicæno concepta cœpit quasi renasci. Vt tamen videas quàm parum sibi hic Autor constet, notes eum hær. 57 scribere: *Vnus Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus.* & hær. 65. *Asserit Paulus Samosatenus, Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum esse.*

CHRYSOSTOMVS episcopus Constantinopolitanus homil. 75 in Ioan. AVGVSTINVS episcopus Hipponensis contra Maximin. III. 14. & quæst. 122 de fide & symbolo c. 9. CYRILLVS ALEXANDRINVS episcopus Thes. II. 3.

ISI-

ISIDORVS PELVSIOTA lib. 3. epist. 334. CÆSARIVS dial. 1. Inter. 18. LEONTIVS. NICETIVS episcopus Trevirensis epist. ad Chlodosuindam Reginam. IOANNES DAMASCENVS I. 6. IV. 19. THEOPHYLACTVS archiepiscopus Bulgarorum. EVTHYMIVS. Verbo dicam, Græci omnes, & multi Latini: verissimè ergò scribit Petavius de Trinit. lib. 2. cap. 2. § 8. *Et ex latinis complures eadem illa Ioannis verba, quibus majorem se esse Patrem Christus fatetur, de ipso, quà Deus est, disertè explicant.* Vide Sandii Interpret. Paradox. in Ioh. XIV. 28.

Quod ad Deitatem Spiritus S. attinet, ea nondum fuit definita in CONCILIO NICÆNO, nec legitur in Confessionibus fidei de S. Trinit: ALEXANDRI ALEXANDRINI episcopi, HILARII PICTABIONENSIS episcopi lib. 2. ad Constant. & 3 parte de Synodis, BASILII episcopi Cæsareæ Cappadociæ serm. de fid. confess. Hymno AMBROSII & AVGVSTINI, & CONSTANTINOPOLITANO SYMBOLO. In expositione fidei, quam ATHANASIVS conscripsisse traditur. HILARIVS in libris de Trinitate, nunquam Spiritum sanctum Deum vel adorandum dixit, ut animadvertit Mornæus præf. libri de Euchar. & ante eum D. Erasmus; ratio ipsa exprimitur in verbis ejus, quæ Bel-

lar-

larminus præf. de Christo ita allegat: *Audemus Spiritum sanctum appellare Deum, quod veteres non sunt ausi.* Verba integra sunt in 1 Cor. VII. *Nemo priscorum audebat clarè pronunciare Spiritum sanctum esse Patri, Filioque homusion, ne tum quidem, cum quæstio de Filio tantâ contentione per universum orbem agitaretur. Quin in epinicio, quod post Arianos profligatos canere cœpit Ecclesia, quod tribuitur Filio, lumen de lumine, deum verum de Deo vero, non idem dilucidè tribuitur Spiritui sancto. Nunc audemus profiteri, Spiritum sanctum homusion Patri & Filio, & Deum verum de Patre Deo vero, & de Filio Deo vero.* Et hoc argumento usus Bellarminus Erasmum Arianismi insimulat; cujus etiam, qui post Bellarminum scripsére, rei essent Petavius & Huetius: quorum ille postquam de Trin. lib. 1, c. 14. § 14. dixit: *Nicæna Synodus de Spiritu S. nihil præcipuum sanxit, nec ejus divinitati cavit:* hujus rei rationem § 19. exprimit his verbis: *Nonnulli cæteroqui Catholici, per idem* (Damasi P.P.) *tempus Spiritum S. palam, apertèque Deum nominari non sinebant, & qui vocare sic auderent, eis tanquam catholicæ fidei inimicis obstrepebant.* Et § 21. *Minus*, ait, *hoc mirabimur, si meminerimus, ne ipsum quidem Constantinopolitanum Concilium Oecumenicum II. quod adversus Macedonianorum & Pneumatomachorum hæresim præcipuè collectum est, Deum apertè in Symbolo suo nomi-*

nâsse

nâsse Spiritum sanctum. Tandem lib. 2. c. 7. § 2. *Ecclesia*, inquit, *de Spiritus S. divinitate primis ferè quatuor seculis, haud satis conceptis, definitisque verbis sententiam tulit.* Unde suspicatur lib. 1. cap. 14. num. 16. verba καὶ ἅγιον πνεῦμα in Epiphan. hær. 73. Num. 3. temere à quopiam inserta fuisse. Sed sæpius in illum sensum scribit Epiphanius, ut in Ancor. *Trinitas ejusdem essentiæ, ejusdem substantiæ, ejusdem potentiæ, æqualitate gratiæ Patris & Filii & Spiritus sancti.-Deus est ex Deo Spiritus sanctus.-Adorandus est Spiritus sanctus.* & hær. 74. *ut ostenderet Filius suam æqualitatem ac coëssentialitatem ad Spiritum suum, & Patris sui sanctum.* Huetius verò Origenian. lib. 2. cap. 2. q. 2. § 10. ait: *Constat ne Basilii quidem temporibus, ac recentioribus etiam, Spiritûs sancti divinitatem apertè profiteri ausos esse Catholicos, ne Pneumatomachorum petulantiam experirentur.* Ubi & notandum quod scribit: *Quod Origenes tomo 2 in Ioann. Spiritum sanctum Verbo minorem statuit, consentientem habuit ATHANASIUM Orat. 2. adv. Arian. Nam & ille Dominum Spiritu sancto majorem dixit, idque*, ut Huetius vult, *propter dignitatem & auctoritatem originis.* Unde clarissimè patet Athánasium non fuisse symboli dicti Athanasiani autorem: sed alium recentiorem, magis illuminatum, magisque orthodoxum: quâ in re mecum sentiunt Camerarius, Pelargus, Serrarius
vel

vel Clencherus, Meletius, Vossius, Henricus Nicolai, &c. Vide Sandium Nucl. p. 147, 256. —

Constat itaque ex Patribus primitivæ ecclesiæ non posse probari S. Trinitatis consubstantialitatem, coæternitatem & coæqualitatem. Neque extat articulus ille in SYMBOLO APOSTOLORVM, ut sentiunt Lutherani orthodoxi cum D. Calovio in Syncret. Calixtino, § 89. Imò propterea Iesuitæ Hispani hoc Symbolum rejiciunt, ceu Arianismi aut Photinismi suspectum, quòd nulla de Filii aut Spiritus S. divinitate, aut etiam æternitate in eo mentio fiat, sed potius contrarium de Filio in articulo tertio insinuetur, teste Alfonso de Vargas, seu Casparo Scioppio apud Sandium pag. 52.

Ridiculi autem sunt, qui *τὸ credere* cum præpos. *in* peculiare aliquid, seu summo Deo proprium denotare putant. Exodi XIV. 31. sane legitur: *& credidit* populus *in Iehovam & in Mosen servum ejus*: XIX. 9. Deus vult ut in *æternum populus credat in Moysen*: 2. Chron. XX. 20. Iosaphat hortatur ut Iuda & inhabitatores Ierusalem *credant in Dominum Deum, & in ejus prophetas*. 1. Sam. XXVII. 12. *Credidit Achis in David*. Audi Hieronymum Comm. in epist. ad Philemon. *Quæritur quomodo eandem fidem in Deum habere quis possit, & in omnes sanctos ejus, Ad cujus expositionem de Exodo sumamus exemplum. Credidit populus Deo & Moysi servo*

vo ejus. Una atque eadem credulitas in Moysen refertur & in Deum, ut populus qui credebat in Dominum, æquè credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicunque credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat & in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros ejus odio & infidelitate terminantur. Jo. Drusius in præteritis ad cap. 1. epist. ad Philipp. scribit: בו *in eum, non* לו, *quod magis valet ei. Eodem tamen recidit. Nam credit in Deum qui credit Deo, & contra. Similiter credere in Mosen & credere Mosi synonyma sunt:* Item comment. in Pentateuch. *in distinctione,* inquit, *Augustini* (tract. 29 in Joann. inter *credere Deo, & in Deum,*) *nihil soliditatis inesse.* Et antè dixerat: *Dixi credere Deo & credere in Deum synonyma esse. Quod amplius firmatur testimonio Apostoli, qui hunc locum* (Gen. XV. 6. *citans,* ἐπίστευσε τῷ θεῷ *dixit, non* εἰς τὸν θεόν. (licet in Hebraïco sit ביהוה) *Qui distinguunt, hos omnes sibi adversantes habent. Sed & ipsum Spiritum S. qui dixit, Crediderunt in Deum & in Mosen.* Consentit Martinus Bucerus. Salomon Glassius Orat. partis 1. Philologiæ sacræ, *distinctionem eam phrasium, quam Augustinus prodidit, nullius valoris & ponderis esse* scribit; *sed pari significatu dici, credere Deo & credere in Deum, credere hominibus & in homines.* Augustinus ipse sibi non constans, hom. 3 ad Neophytos,

tos, de consecr. di. 4. c. 73. & alias sæpe docet, *credendum in ecclesiam*, quod & Hieronymus voluit. Epiphanius Ancor. *Credimus*, inquit, *in unam catholicam & apostolicam ecclesiam, & in unum baptismum poenitentiæ, & in resurrectionem mortuorum, & in regnum cœlorum, & in vitam æternam.* Cyprianus epist. ad episc. Numid. *Sed & ipsa interrogatio quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in ecclesiâ dari.* Et ad Demetrian. *In æternam pœnam serò credunt, qui in vitam æternam credere noluerunt.* Patres quoque antiquiores constat dixisse: *nos credere in remissionem peccatorum, & in resurrectionem carnis.* Quod verò iis verbis non significare voluerint fiduciam ac desiderium, vel inde liquet, quod, cum nemo teneatur æternæ pœnæ desiderio, Cyprianus tamen dicat, *In æternam pœnam sero credunt, qui in vitam æternam credere noluerunt.*

Porrò tantum abest, ut Mysterium illud ineffabile ex RATIONE probari possit, ut potius nihil magis sit contra rationem: est enim contra rationis principium Mathematicum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Unde verissimè scribit Excellentissimus Meisnerus Philos. Sobriæ p. 1. s. 4. c. 2. q. 3. a. 2. *Unum esse tria est prorsus ἀντιφατικὸν et c. 9. q. 2. Cum abundè satis pateat, quàm in-*

com-

comprehensibile, & omni rationi contrarium sit Trinitatis mysterium, ideoque si urgeatur principium Calvinisticum, Deum non proponere incomprehensibilia, & nihil esse credendum, quod sit contra rationem, *ego certè prorsus non video, quis inde sese expedire, & adversariis satisfacere possit.* Et ex Pontificiis Joannes Duns Scotus prol. q. 1. sentent. ait, contrarium sententiæ de Trinitate ex ratione deduci.

Cum itaque S. Trinitatis mysterium, i., e. Patris, Filii & Spiritûs S. trium personarum per se subsistentium, quarum una non est alia, coëssentialitas numerica, coæqualitas & coæternitas, sit contra RATIONEM, TRADITIONEMQVE antiquissimorum quorumque PATRVM, cumque nequeat probari ex SYMBOLO APOSTOLICO, quid superest; quàm ut confugiamus ad S. SCRIPTVRAM ne, adversariis nostris ludibrio habeamur? Dolendum autem quosdam sciolos, quique sibi soli sapere videntur, ex acumine stultissimi sui ingenii, corrasisse plurima S. Scripturæ, tam Veteris, quam Novi Testamenti testimonia prorsus invalida, ad probandum illustre S. Trinitatis mysterium. Nam eo ipso ansam præbuére adversariis nostris, insultandi nobis, quasi validiora nobis testimonia deessent, magisque eosdem in hæresi suâ confirmárunt: imò & Pontificios contra nos excitârunt, ut scriberent S. Trinitatem ex

S. lite-

S. literis minimè posse probari. Quamobrem examinabimus primò loca illa S. Scripturæ, quæ invalida meritò judicantur; secundò proponemus loca Novi Testamenti, ex quibus Filii, Spiritusque sancti Deitatem, (nam de Patre eam nemo negat,) eorundemque cum Patre coëssentialitatem, coæqualitatem & coæternitatem probabimus; tertiò respondebimus ad loca illa, quæ adversarii contra S. Trinitatem ex S. Literis allegare solent.

Dixi verò me secundo loco prolaturum sententias Novi Testamenti: concedo enim Pontificiis, (de quibus Sandius Interpr. Paradox. Matth. XXII. 32. in Veteri Testamento sublime illud mysterium nondum fuisse revelatum, quia Iudæi prodives erant ad idololatriam & multitudinem deorum introducendam: unde & rectè ait Ioannes episcopus Arianorum, autor Operis Imperfecti in Matth. homil. 45. *Iudæos non credidisse, nisi in unum & solum Deum Patrem.* Vtar autem vocibus *Consubstantialis*, i. e. *homousii*, & *Trinitatis*, quia usu receptæ sunt inter nostrates; nam aliàs voces istæ mihi minus probantur cum Luthero, qui contra Latomum scribit: *Quodsi anima mea odit ὁμοούσιον, non ero propterea hæreticus.* ——— *Nec est quod mihi homousion illud objectes adversus Arianos receptum. Non fuit receptum à multis, iisque præclarissimis, quod & Hieronymus optavit aboleri, adeoque non effugerunt*

runt periculum hoc invento vocabulo. —— *Scripturæ ſinceritas cuſtodienda eſt, nec præſumat homo ſuo ore eloqui, aut clarius aut ſincerius, quàm Deus elocutus eſt ore ſuo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei per ſe loquentis, non credat ſe intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur quàm qui optimè intelligit. Quis autem res Dei intelligat melius, quam Deus ipſe? Imò quantum eſt id quod homo intelligit de rebus Dei? Det potius honorem Deo miſer homo, & vel confiteatur ſeſe non intelligere verba ejus, vel omittat ea profanare vocibus ſuis novis ac propriis, ut pura nobis maneat genuina ſpecie amabilis ſapientia Dei.* Item in Poſtilla majore Dom. Trinit. *Vocula hæc Trinitas nuſquam in divinis ſcriptoribus reperitur, cæterum humanitus tantum inventa. Vnde omnino etiam frigidè ſonat, ac multò præſtabilius foret, ſi Deus potius quam Trinitas dicatur.* & in illa verba: *O altitudo: Non eſt,* inquit, *elegans germaniſmus, quod Deum vocamus hoc verbo* Dreyfaltigkeit / *ſicut etiam latinum non bellè ſonat:* & propterea ex Litaniis eraſit iſtud: *Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis.* Concinit in eo quoque cum Luthero Calvinus, quando ſcribit: *Precatio illa trita, Sancta Trinitas unus Deus miſerere noſtri, mihi non placet, ſapit enim omnino barbariem.* —— *Trinitas eſt barbarum quiddam, eſt profanum & inſipidum.* —— *Quis ſine riſu hæc audiat? Crediſne in Deum, i. e. in Trinitatem? Vnus Deus & unus Mediator, i. e. Trinitas: ut cognoſcant te unum Deum, i. e.*

Trinitatem. Quicquid petieritis à Patre, i. e. à Trinitate. ——— *Trinitatis nomen ſepultum utinam eſſet.* Et Lambertus Danæus contra Genebrard. *Inſulſa*, inquit, *inconcinna, periculoſa hæc oratio eſt: Sancta Trinitas miſerere nobis.* Verum, ut dixi, utar illis vocibus, quia nunc uſu receptæ ſunt inter omnes, qui credunt myſterium ipſum. Age itaque examinemus nunc teſtimonia illa Sacræ Scripturæ, quæ Proteſtantes ipſi invalida judicant; petentur verò ea ex Sandii integris, auctioribusque Interpretationibus Paradoxis. Primo verò loco agemus de iis, quibus in genere Trinitatis coëſſentialitas, coæqualitas & coæternitas à quibusdam ſolet probari; in omnibus obſervaturi ordinem librorum S. Scripturæ.

I. In Veteri Teſtamento primus occurrit locus productus ex Geneſ. I. 1. בראשית ברא אלהים ex quo probant quidam Trinitatem perſonarum divinarum in unica numero eſſentia, eo quod τὸ אלהים ſit plurale: ברא autem ſingulare: iſtam vocem dicunt denotare perſonarum trinitatem, hanc ſignificare eſſentiæ unitatem. In hoc loco primus myſterium invenit Petrus Lombardus, Magiſter ſententiarum, cujus elumbem ſubtilitatem hodieque ſectantur, qui inter Proteſtantes rudioris ſunt Minervæ. Pontificii autem hæretici omnibus viribus annituntur, ut ex eorum manibus non quidem extorqueant telum, ſed cuſpidem obtundant. Au-

diamus

diamus itaque quæ ſcribant: Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus h. l. ait *Deum plurali appellatione vocatum à Moſe, non ad ſignificandam pluralitatem perſonarum in Trinitate; ſed quia nomen Elohim careat ſingulari numero. Imo locus iſte minimè favet Trinitati perſonarum, quoniam, ut Athanaſius in Symbolo teſtatur, perſonæ divinæ nec Dii, nec Domini catholicè dici poſſunt.* Cajetani expoſitionem defendit Sixtus Senenſis Bibl. S. lib. 5. annot. 1. Bellarmini lib. 2. de Chriſto, cap. 2, hæc de eo ſunt verba: *Magiſter lib. 1. di. 2. & multi alii afferunt pro argumento,* (ad probandam Trinitatem) *quod ſcriptura conjungat nomen plurale cum verbo ſingulari, ut Gen. 1.* In principio creavit Dii. Bara elohim. *Pſalm* 36. Dominus irridebit eum. *Sed non puto argumentum eſſe admodum ſolidum, ſiquidem ſcripturæ conſuetudo id habere videtur, ut nomina illuſtrium perſonarum ponantur in numero multitudinis, licèt verba retineant numerum ſingularem. Quam conſuetudinem nos Itali ex parte imitamur, dum viris gravibus non dicimus Tu, ſed Vos, licèt unum, non multos alloquamur. Ac ne id quod dico Rabiniſmum redolere videatur, à quo ego longè abeſſe cupio, proferam rationes ſententiæ meæ. Moveor igitur his rationibus. Primò, quia video hoc in ſcriptura idem fieri, quando eſt ſermo de hominibus, aut falſis diis, ut Exodi* 20. Non habebis deos alienos, *in Hebræo,* non erit tibi dii alii. *Gen.* 24. Poſuit

manum ſuper ſemur Abraham Domini ſui, *in Hebræo eſt* אדניו *Dominorum ſuorum Exodi* 21. Si dederit Dominus ejus uxorem ejus illi. *Heb. Si dederit Domini ejus* אדניו*, at certè ſiquid myſterii hic lateret : non ita paßim nomina pluralia cum verbis numeri ſingularis conjungerentur. Secundò, quia ſi iſta vocabula haberent ſignificationem pluralem, liceret dicere eſſe plures deos veros. Quis enim reprehenderet, ſi in hoc ſcripturam ſequeremur? Cur enim quæſo liceat Hebraicè divinas perſonas appellare deos, & hoc idem non liceat latinè? Dices, Scriptura non ponit nomen Dei in plurali niſi conjungendo cum verbo ſingulari. Reſpondeo hoc non eſſe verum. Nam 2 Reg. 7. ubi legimus :* Quæ eſt autem gens ſicut populus Iſraël, propter quem ivit Deus ut redimeret, *&c. Hebraicè legimus, iverunt dii. Et alibi ſimilia multa reperies. Hoc igitur eſt, quare liceat hebraicè de divinis perſonis dicere, Iverunt Dii, & latinè non liceat. Certè nulla alia ratio eſt, niſi quia Hebræorum conſuetudo eſt, ut nomen plurale rem ſingularem ſignificet. Latini autem ejuſmodi conſuetudinem non habent. Tertiò, quia nunquam Septuaginta, nec Hieronymus vertit Dii, nec ullus ita vertere auderet. Quod eſt argumentum, pluralem ſignificationem in iis locis ea nomina non habere, ſed ſingularem. Quartò, quia ſi nomen Dei in Hebraico haberet pluralem ſignificationem ubicunque invenitur in numero mul-*

multitudinis, esset apertissima & frequentissima contradictio in verbis Sacræ Scripturæ. Siquidem frequentissimè legimus, unum tantum esse Deum, & tamen frequentissimè etiam legimus Deos. Non est autem credibile, voluisse Deum his apparentibus contradictionibus, perturbare populum suum, & occasionem blasphemandi præbere adversariis. Conf. Pererium h. l. num. 39, 40. Turrianus in Clem. Constit. III. 17. *Quidam auctor*, inquit, *catholicus & eruditus, Patrem, Filium & Spiritum sanctum Deos esse vult, quia semper verbo plurali Eloim utatur Vetus Testamentum, quod ipse* dii *interpretandum putat. Ego in re ipsa nil impugno, argumentum autem illud firmum non agnosco, aliis argumentis motus.* D. Petavius de h. l. scribit in Dogm. Theolog. de Trin. lib. 2. cap 7. § 3. *Nihil in illa voce inesse mysterii multò est probabilius. Nam pluralis numerus, ex usu Hebraïcæ linguæ, pro singulari illic adhibetur: ut Aben Hezra docet in Commentariis ad cap. 1. Genesis: quippe morem illi esse, ut inferiores honoris causa pluralem efferant numerum, cum honoratiores appellant, aut de iis loquuntur. Sic enim* בעלים *&* ארנים *vocant, cum de uno sermonem faciunt: ut Gen. XXIV. 9. & XXXIX. 2. XL. 1. & alibi sæpe. Ita in lingua Ismaëlitica, id est Arabica*, ait idem, *solent Reges plurali de se numero loqui: quemadmodum & in idiotismo nostro* (Gallico) *usu venit: Sed hanc quæstionem plenius disputavit*

tavit Abulensis adversus Lyranum in Tract. de Trinit. Adeundus ergò est Alfonsus Tonstatus Abulensis. Hæc Pontificii de h. l. Verum jamdudum est ; quod Protestantium eruditiores hoc telum , ceu per se inutile & invalidum , ultrò abjecerunt. Calvinus h. l. *Ex plurali Elohim colligere solent , sic in Deo notari plures personas ; sed quia mihi parum solida videtur tantæ rei probatio , ego in voce non insistam. Monendi itaque sunt Lectores , ut sibi à violentis ejusmodi glossis caveant. Putant illi se testimonium habere adversus Arianos , ad probandam Filii & Spiritus sancti divinitatem , interea involvunt se in errorem Sabellii : quia postea subjicit Moses , Elohim loquutum esse , & Spiritum Elohim incubuisse aquis. Si tres personas notari placet , nulla erit earum distinctio. Sequitur enim & filium à se genitum , & spiritum non esse Patris , sed sui ipsius.* Ianus Drusius Hebrææ linguæ Professor Franekeranus epist. 66 ad Iacobum Montanum ita scribit : *De nomine Elohim quod scribis , sciendum non idem omnes sentire. Quidam eo Trinitatem innui asserunt, alii negant. Ego iis accedo , salvo tamen aliorum judicio , qui negant. Adducor autem non autoritate cujusquam hominis , sed iis rationibus quas nunc producam. Prima est, quia nomen* אלהים *tribuitur non solis angelis & judicibus, sed etiam diis falsis. Ausim dicere inter nomina Dei , quæ plurima sunt , nullum ita commune esse. Quod cum ita sit , ut revera est , quis cre-*
dat

dat eo nomine significari τὴν τριάδα? *Sed respondes alia ratione dici de Deo, & alia de angelis, judicibus & idolis. Concedo hoc ita esse. Nam cum de Deo dicitur, sensum habet singularem; cum de angelis &c. pluralem. Sed tamen inde non sequitur eo significari tres hypostases. Quod est* τὸ κρινόμενον. *Quocirca alio argumento probari debet. Secunda ratio, quia dicitur de uno vitulo,* Hi sunt dii tui Israël: & Faciamus nobis deos. *Quæ non male convertes, Iste est Deus tuus, & Faciamus nobis Deum. Vide Miscell. mea Cent. 2. cap. 53. Tertia ratio, quia usurpatur de persona Patris tantum Psalm. XLV. 8.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus; *& Filii Hos. I. 7.* Salvabo ipsos in Domino Deo ipsorum, *id est in Christo. Quomodo Deus Elohim vocatur Pater, aut in Deo Elohim, id est in Christo, si Elohim tres personas denotat? Locum Davidis supra productum sunt qui hoc modo enarrant, ô Deus (Christe videlicet) Deus, pater Deus tuus unxit te &c. Quæ interpretatio magis nos adjuvat. Nam idem nomen Elohim in eodem loco & filio & patri attribuitur. Quarta ratio, quia S. literæ passim testantur, unum tantum esse Deum Elohim. Si unus tantum est, utique plures non sunt. Sic dico. Aut scriptura sibi contradicit, aut unus est duntaxat Deus Elohim, & non tres, ut quidam volunt. Quinta ratio, quia cum nomen Elohim de vero Deo dicitur, interpretes semper reddunt Deum, nunquam Deos. Iam verò ut demus eos hoc*

mysterium ignoråsse, illud eripi mihi non potest, quin si rectè dicitur tres Elohim, etiam rectè possit dici tres Dii. Nam Elohim latinè sonat Dii vel Deus. Sexta ratio, quia construitur cum verbis numeri singularis, ut Gen. I. 1. Creavit Elohim. *Quod argumento est habere significationem unius Dei & non plurium. Quanquam hoc non est perpetuum. Nam reperitur junctum & cum verbo plurali, ut 2 Sam. VII. 23.* Iverunt Elohim. *Ac tum habetur ratio non sensus, sed terminationis. Restat ut respondeam ad quæstionem de numero. Nam cur, inquis, usa est scriptura numero multitudinis? An honoris causa? Ita videtur. Solitum enim Hebræis illustres personas hoc modo compellare. Exempla invenies Gen. XXIX. 2, 3, & alibi passim. Hæ rationes si possunt scrupulum, qui te pungit, eximere, bene est: sin, per me licet ut cum iis sentias, qui aliter sentiunt, dummodo scias non temere nos à viris gravibus magnisque dissentire.* Idem in Miscellan. locut. S. liter. c. 53. *Quocirca miror qui venerit in mentem nonnullis opinari, quod etiam literis mandarunt, per hunc numerum significari trinitatem: iidem, quas personas dicimus in Deitate tres Elohim, hoc est, tres Deos appellârunt, sed quam rectè viderint, cum etiam de vitulo dicatur.* Hi sunt dii tui Israël, & Fac nobis deos, *non enim quia Elohim appellatur vitulus, ideo tres in vitulo personæ, sin eas ὑποστάσεις malis appellare, nec quia eodem nomine appella-*

tur

tur Deus, ideo plures deos esse censendum est. Append. *Tres in Deo personas ex nomine plurali Elohim parum mihi videtur aptè colligi, satius est aliis argumentis, quæ plurima sunt, id probare. Nam hæc genera argumentorum exposita sunt doctioribus Hebræis ad subsannationem, quibus ansam vel calumniandi nostri, vel deridendi præbere non debemus.* Idem in Comment. ad loca difficil. Geneseos cap. I. *Qui navem conscendit mare sacrum sulcaturus ante omnia vitare debet scopulum, qui naviganti primus occurrit, in quem tot viri magni, gravesque impegerunt & naufragium paßi sunt. Moses ait,* In principio creavit Deus: *hebraicè, creavit Elohim. Hic mysterium latere putant, pluralitatemque innui personarum. Quo argumento? Quia nomen plurale construitur cum verbo singulari. Hoc partim verum, partim falsum est. Verum est quoad terminationem, falsum quoad sensum. Nam Elohim quando de uno Deo dicitur, sensum habet singularem. Dicitur autem de uno Deo paßim, & de uno angelo, vitulo, idolo, homine, &c.* Et cap. 13. *Quia scripsi per nomen Elohim vi terminationis non significari τὴν τριάδα, traducor ab ipsis tanquam Arianus, cum ipsi potius Sabelliani dicendi sint, qui Spiritum S. faciunt sui ipsius Spiritum, & Christum ajunt à se ipso genitum, & quod absurdißimum, pluralitatem constituunt in singulis personis. Nam licet hoc disertè non dicent, ex eorum*

tamen sententia hæc omnia necessariò consequuntur. Usque adeò verum est illud. Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt. Sic est profectò. Imperiti dum vitant errores, incidunt in contraria. Rivetus Exerc. 1. in Gen. to. 1. ait, *in* ברא אלהים *non mysterium sed enallagen esse, uti Num.* XXXII. 25. ויאמר בני גד *& dixit, i. e. dixerunt filii Gad.* Cevallerius ait, hunc loquendi modum usum obtinere in personis eminentis conditionis. Consentit cum præcedentibus David Paræus in suo scripto, quod opposuit Pseudo-Calvino Iudaïzanti ab Ægidio Hunnio emisso, lib. 2. cap. 9. Plures authores negantes mysterium h. l. indigitari, allegat Excellentissimus Dn. D. Abrahamus Calovius, h. l. Huc etiam referenda sunt verba Ioannis Oecolampadii, quando h. l. scribit: *Hic animadvertendum plerosque ex hoc principio quærere Trinitatis mysterium, quod planè neutiquam est contemnendum; sed illud non satis apertè hoc in loco adstruitur: nam dum per principium Filium & Deum Patrem & Spiritum sanctum colligunt, videntur violentius sensum quærere, cum possent alia ratione commodius.*

II. Genes. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hinc quidam nostratium ex pluralibus *Faciamus* & *nostram* probari trinitatem personarum in Deo contendunt. Contra Mercerus de illo loco scribit: *Quod pluraliter Deus loquitur, nostri*

ad

ad Trinitatem referunt, quasi Filium sit allocutus Pater, per quem omnia fecit: quod non equidem improbârim; sed ego hoc linguæ consuetudini, qui & in aliis linguis mos est, magis tribuerim, ut Deus loquens hominum more inducatur, & de eo eodem etiam modo mentio fiat. Vnde nunc pluraliter de se, nunc singulariter loquitur: Faciam ei adjutorium: item, Descendamus & confundamus eos in turri Babel. —— Dicit ergò Faciamus, non tanquam ullius alterius ope ad hanc rem indigeret, sed hominum more. Cum enim hominibus hæc scribantur, non potuit Deus loquens induci nisi hominum more. Nec Deo alioquin sermo propriè tribui potest. Pro Trinitate oportet ex locis evidentibus Iudæos urgere. Verissime hæc scripsit Mercerus. Et D. Lutherus veræ religionis primus restaurator, in epist. ad Hier. Dungersheym, *Illud Genesis*, inquit, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, quanta fiducia Augustinus pro Trinitatis assertione, & pro imagine, quæ est in homine, tractat, cum neutrum ex eo possit probari, quod in Hebræo* Faciam *dixit, non* Faciamus. Tomi epistolarum Lutheri à Ioanne Aurifabro sunt collecti & editi Francofurti ad Viadrum. Indicem rerum in epistolis Lutheri contentarum collegit Georgius Cælestinus Doctor, in quo verba hæc leguntur: Gen. I. locus: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, &c. à Patribus perperam allegatus pro Trinitatis assertione.*

III. Genes. III. 22. *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis.* Hinc ex plurali *nobis* colligunt nonnulli personarum in divinis pluralitatem. At Olearius monachus Hispanus, Hebrææ linguæ peritissimus, verbum illud hebræum *mimmennu*, anceps esse annotavit. *Ecce homo factus sicut unus ex se ipso sciens bonum & malum.* Targum etiam, i. e. Paraphrasis Onkeli Chaldaïca habet. *Et dixit Dominus Deus. Ecce homo unicus est in mundo ex se ipso sciens bonum & malum.* Mercerus: *Nostri* (ait) *ad alias personas sacrosanctæ Trinitatis sermonem directum volunt, sicut supra cum Deus diceret, Faciamus hominem &c. verum efficaciora argumenta puto esse afferenda adversum Iudæos ad Trinitatem ostendendam, cum alioqui Dominus nunc singulari, nunc plurali numero hominum more loquens inducatur.* &c. Agnovit idem Calvinus: *Christiani* (scribens) *ex hoc loco deducunt doctrinam, quâ probant in Deo esse tres personas; sed vereor ne hoc argumentum sit minus firmum.* —— *Postea Adam mihi erit similis, ut simus inter nos socii.* —— *quoniam hîc Adam sub dictione Nobis comprehenditur.*

IV. Genes. XVIII. 2, 3. *Ecce tres viri* —— *& dixit, Domine.* Mercerus: *Sanè nostros oportuit in Trinitate hinc colligenda cautiores esse, ne se ita adversariis deridendos exhiberent. Et ego velim solidiora &* aper-

apertiora adverſum illos loca ex ſcripturis pro Trinitate afferri, quibus illi urgeantur. —— *Inde ſatis leviter noſtri, ut ſupra dixi, unitatem in Trinitate perſonarum colligunt, quod jam confutavi.* —— *Inconſideratè ergò nimium vulgo ex hoc loco dici ſolet, quod Abraham tres viderit, unum adorarit, quaſi unitatem in Trinitate agnoverit.* Pererius: *Planioris & ſimplicioris fuerit intelligentiæ, & propenſioris fidei, ſi dicamus, Abraham unum illum, quem ut præcipuum illorum trium reverebatur; atque honorabat, ſingulariter eſſe allocutum; aliis verò duobus, etſi putabat minoris eſſe dignitatis; communia tamen hoſpitalis officii miniſteria obtuliſſe. Conſona eſt huic expoſitioni Ambroſii ſententia.* „ Deinde, *inquit*, con- „ verſus ad duos, quos miniſtros arbitrabatur, „ etiam ipſis deferre geſtit obſequium, non „ ſanè dubito, ſervitutis jure adſtrictus, ſed „ blando ſedulitatis nomine uſuque famula- „ tus „. Rectiſſimè ergo D. Martinus Luthe- „ rus, *Quodſi,* inquit, *non alia Trinitatis probatio eſſet, quam hæ tres ſpecies, ego ſanè eam non crederem.* Calvinus h. l. *Quod vetuſti quidam ſcriptores hinc myſterium elicere conati ſunt, Abraham unum ex tribus quos viderat adoráſſe, ideoque tres in Deo perſonas fide eſſe intuitum, quia frivolum eſt & obnoxium ſannis & calumniis, omittere ſatius eſt.* Muſculus: *Quare invalidum eſt, quod ex hoc loco quidam myſterium Triadis aſſerere volunt.*

Piſcator probat non poſſe dici *unum ex tribus fuiße Verbum.* Cæterum Caſtellio, *Dominum*, inquit, *ſingulari numero ſolet appellare lingua hebræa, etiamſi plures ſint.* Mercerus & Calvinus tribuunt hoc eximiæ & inſigniori cujusdam perſonæ dignitati externè ſe offerenti, quà unus præ aliis duobus comitibus ſuis excellere, & omnium maximus videbatur, quo velut reliqui duo penderent. Martinus Borrhæus putat propiorem à ſe fuiſſe ſalutatum atque invitatum, quo annuente & reliquos ſecuturos credebat. Sed Cajetanus & Fr. Iunius legunt pluraliter *Domini mei.*

V. Geneſ. XIX. 24. *Pluit Dominus à Domino.* Gallaſius in Iren. III, 6. Sect. 2. *Locum illum Geneſeos XIX. 24. ſic plerique veterum interpretati ſunt, ac ſi repetitione nominis Iehovæh Pater & Filius ſignificaretur. Atque hinc factum eſt, ut ad probandum Trinitatis myſterium, locum illum firmum eſſe vulgò exiſtimârint.* —— *Debilis eſt illa probatio, & Iudæi nos magis exagitant, ac rident hæretici, quaſi ſcripturas torqueamus teſtimonio deſtituti.* —— *Nam planè videtur Moyſes nos ad Majeſtatem Dei contemplandam, atque admirabile & ſtupendum illud ſupplicium, quod ſolâ manu ſuâ Deus exſequutus eſt, mentes noſtras evehere. Atque idem eſt cum aït pluiſſe à Domino, ac ſi diceret à ſe ipſo. Quam interpretationem ſecuti ſunt Chryſoſtomus & Theophylactus, cum exponunt ſimilem Pauli locum,*

2 *Tim.*

2 *Tim.* I: 8. *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum*, &c. Iacobus Tirinus Iesuita h.l. *Pluit Dominus à Domino Sulphur*, &c. *Hebraïsmo*, *i. e. Dominus à se ipso pluit*, *vi & potentia propria*, *non intercurrentibus causis naturalibus*, *ut solet in aliis incendiis.* Ita quoque Cajetanus, Pagninus, Vatablus, Oleaster, Arias Montanus, Emmanuel Sa, Zwinglius, Calvinus, Petrus Martyr, Musculus, Janus Drusius. Et Castalio vertit: *Iova ab se de cœlo depluit.* Sic & Mercerus & Zanchius. Calvinus h. l. *Quod veteres Christi divinitatem hoc testimonio probare conati sunt*, *minimè firmum est* : *ac sine causâ meo judicio tumultuantur*, *qui acrius Iudæos exagitant*, *quia non admittant tale probationis genus.* Mox : *Parum solidè ratiocinari dico*, *qui plures inde personas eliciunt.* Musculus, *Non est putandum*, inquit, *quod de duobus Dominis loquatur Moses.*

VI. Genes. XX. 13. *Vagari me fecerunt Elohim à domo Patris mei.* Calvinus hîc per *Elohim angelos* intelligit.

VII. Psalm. LXVII. 7, 8. *Tunc terra dabit fructum suum* : *benedicet nobis Deus Deus noster. Benedicet nobis Deus* : *& tunc metuent eum omnes fines terræ.* Io. Bugenhagius Pomeranus h. l. *Hinc urgere non possumus Iudæos*, *neque indigemus*, *qui in scripturis clariora habemus testimonia* pro Trinitate.

VIII. Esaiæ VI. 3. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Sabaoth.* Ex trina repeti-

tione

tione vocis *Sanctus*, quidam nostrorum trinitatem personarum probare volunt. Sed Aloysius Alcazar apud Dorschéum Detect. malæ fidei papalis parte 1. p. 28. & in Apoc. IV. 2. notat. 3. dicit, hæc verba ad solum Patrem referri. Calvinus h. l. *Veteres hoc testimonio usi sunt, cum vellent adversus Arianos tres personas in una Dei essentia probare. Quorum ego sententiam non improbo. Sed si mihi res cum hæreticis esset, mallem firmioribus testimoniis uti. Nam redduntur pervicaciores, & secum sibi plaudunt, cum minus apertis testimoniis oppugnantur.* (*Nam ipsis facilè esset ostendere, ternarium numerum perfectionem significare:*) *ut in aliis scripturæ locis.* ——— *Apertioribus locis potius utendum existimo, ne* (*probando fidei nostræ capite,*) *hæreticis ridiculi simus. Et certè hac repetitione potius indefessa assiduitas notatur, ac si dixisset Propheta, nullum angelicæ melodiæ finem esse in canendis Dei laudibus, sicut inexhaustam earum materiam nobis suppeditat ejus sanctitas.* Henricus Bullingerus ait, *hoc non esse satis evidens testimonium pro distinctione personarum in Trinitate.* Zacharias Vrsinus, *Notandum*, inquit, *quod usi sunt hoc loco scriptores contra Samosatenum & Arium, ad probandam Trinitatem.* ——— *Sed adversus hæreticos non sunt satis evidentia. Nam hunc sensum subesse probandum est ex aliis locis. Itaque dicerent esse petitionem principii. Illi igitur sensui magis reconditè accedit triplicatio illa;*

illa; alter manifestus est ex consuetudine loquendi, quod videlicet significet continuationem celebrationis, &c. Hieronymus Zanchius Resp. ad Arianum: *Vox* (ait) *sanctus ter repetita Trinitatem personarum in Deo minimè probat.* Ioannes Piscator h. l. *Qui putant illâ triplicatione notari mysterium Trinitatis: infirmo argumento videntur niti.*

IX. Malachiæ I. 6. *Dominus exercituum.* Oecolampadius: *Lyranus hîc colligit mysterium Trinitatis, eo quod in plurali legatur apud Hebræos* ארנים *Adonim; sed adversus Iudæos imbelle argumentum est. Nam juxta proprietatem linguæ singularem numerum per pluralem explicant, ut & latini Athenas vocant unam civitatem. Ita habemus Esai. XIX. & Exodi XXI. &c.*

X. Ex novo Testamento produci solet locus ex Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ex quo tale formant argumentum:

In cujuscumque nomen baptisamur, is est unus supremus Deus.

Atqui baptisamur in nomen Patris, Filii & Spiritus S.

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus supremus Deus.

De hoc loco scribit Cornæus Iesuita in libro, cui titulum fecit *κέρας ἀμαλθείας*: *Ad Arianum si fiat progressus,*

ſus, *audiet ille Scripturam*, *Baptiſantes eos in nomine Patris*, *& Filii & Spiritus ſancti*, *Matth.* 28. *ſed dicet*, *illic minimè dici*, *hoſce três eſſe* ὁμȣσίȣς *& conſubſtantiales.* Nihuſius Artis novæ 1. cap. 15. *Alius* (Lutheranus) *contra Antitrinitarios probatum ibat*, *unius eßentiæ perſonas realiter diſtinctas eße tres*, *è textu*: *Euntes docete omnes gentes*, *baptiſantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*; *quum tamen ibi nominentur ſaltem tres*, *nulla verò mentio fiat eſſentiæ unius & perſonarum realiter diſtinctarum.* Imò & nos aſſerimus Majoris veritatem contra hæreticum non poſſe demonſtrari, nec ex ratione, nec ex S. literis, cum Maimonides ſcribat de bello capta: *baptiſet eam in nomen proſelytarum.* Vide Grotium h. l. Deinde notandum *in nomen Chriſti* baptiſari idem eſſe, ac *in Chriſtum* baptiſari, Apoſtolo dicente Rom. VI. 6. *Qui in Ieſum Chriſtum baptiſati ſumus*, *in mortem ejus baptiſati ſumus*: unde & Tertullianus locum noſtrum allegat: *tinguentes nationes in Patrem*, *& Filium*, *& Spiritum ſanctum*: & Canone Apoſt. 49 legitur, baptiſandum *in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.* Tertullianus quoque ait *tingere in pœnitentiam*, *in peccatorum remißionem*, *in Chriſtum*, *in Spiritum ſanctum.* Majoris itaque univerſalitas infringitur aſſumptione vel inſtantiâ petita ex 1 Cor. X. 2. ubi *omnes Iſraëlitæ baptiſati dicuntur in Moſen*, in quem lo-

locum probat Dallæus idem esse *in Mosen* ac *in nomen Mosis*; adeò ipse implicitè tollit universalitatem majoris. Sandius h. l. probat *in nomen* idem esse ac *in confeßionem* vel *fidem.* Nam & de Mose dictum est Exodi XIV. 31. *Et credidit populus in Iehovam & in Mosen servum ejus.*

XI. 1 Ioh. V. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Ex eo argumentum tale formant:

Quicunque in sacris unum dicuntur, illi sunt personæ unius numero essentiæ.

Atqui tres, Pater, Verbum & Spiritus S. unum dicuntur.

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres personæ unius numero essentiæ divinæ.

De hujus loci, argumentive vi videamus quid scribant Pontificii. Nihusius Artis Novæ parte 1. cap. 15. *Lutheranus contra Antitrinitarios allegabat S. Ioannis illud:* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt; *sed nihilo plus hîc dicitur, quam tres illos unum esse; unde necdum sequitur, eße eos unius essentiæ; nempe quia sequeretur aliàs tale quid etiam è textu proximè sequente,* Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt; *item ex illo,* Pater sancte, serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. *Item:* Non pro eis rogo tantum,

tum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per Verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum. *Cujus generis & iſtud:* Qui plantat & qui rigat, unum ſunt, *Paulus nempe & Apollo.* Maſenius Ieſuita Medit. Concord. p. 1. tr. 1. c. 7. *Licèt* 1. *Ioan. V.* 7. *dicatur:* Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. *Tamen cum ſcriptura non definiat quomodo unum ſint: imò unitatem hanc in voluntate potius, quàm ſubſtantiâ conſtituere videatur: cum Chriſtus ſic Patrem roget:* Serva Pater quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos, *Ioan. XVII.* 11. & ut omnes unum ſint ſicut tu Pater in me, & ego in te. 21. *ex ſola ſcriptura conſtare infallibiliter nequit, uter ſenſus neceſſarius ſit. Nullis enim ſcripturæ verbis hic definitur.* Idem p. 2. t. 1. a. 1. Obſ. *Iterum quod dicant* (Proteſtantes) *Decretum Nicænæ Synodi de unitate eſſentiæ divinæ, & de tribus perſonis verum, & ſine ulla dubitatione credendum: placet ſanè; at hæc ſententia neque expreſſè, neque neceſſariâ conſecutione ex ſola ſcriptura deducetur, præſertim ſi illa cum Luthero, & orientalibus hæreticis græcum textum mutilantibus* 1. *Ioan. V.* 7. tres ſunt, *&c. à Confeſſioni-*

ſtis

stis quoque non agnoscantur. Quibus tamen admissis, cum scriptura non definiat: unitasne voluntatum in amore, an naturarum in essentiâ intelligenda sit? &, si consequentiâ rationis agendum sit, pro amoris unitate futura sit conclusio, &c. Ioan. Salabertus hæres. domit. parte 2. *Credo*, inquit, *confidentiores ex ipsis* (Hugonotis) *& indoctiores* (ut probent in una singulari & simplici essentia divina subsistere tres personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum:) *statim allaturos hunc locum ex* 1 *Ioh. V.* 7. (*nam ex Veteri Testamento nihil aliud præter umbras adducere poterunt*) tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. *Sed dicant mihi quæso, quomodo super eum immotum fidei dogma fundari possit? Nam Servetus & Anabaptistæ asserunt istum locum olim in archetypo græco non extitisse, & non diu esse quod ibi insertus fuerit. Nullum potes ex vulgatâ editione adducere locum, quin vel infirmi ex nostris adversariis clament, non ita legitur in græco. Attamen secundum ipsius Chamieri confessionem, lib.* 12. *de authent. edit. c.* 7. *N.* 2, 7. *hic locus non invenitur in multis exemplaribus græcis, quamvis testetur in quibusdam legi. Hæccine est legitima moneta, quâ Anabaptistæ aut Antitrinitario satisfiat? Dico amplius. Concedamus ipsis hunc locum esse authenticum: quomodo probabunt illic damnari Sabellianos*, &c. Verum non opus fuisset Pontificiis huic loco enervando tantum insudare: quandoquidem nos ultro

ultro fatemur eum ad probandam essentiæ unitatem elumbem esse. Ita Ioannes Bugenhagius Pomeranus, nostræ religionis Pastor Wittebergensis in Ionam scribit: *Hæc additio visa est quibusdam, ut beato Hieronymo, & post eum aliis, valere contra Arianos; sed revera confirmat blasphemiam Arianorum, contra quam acerrimè pugnat Ioannes in suo Euangelio & in sua Epistola, ut videatur illa additio potius primum excogitata ab Arianis. Nam si sic Pater, λόγος, & Spiritus sanctus sunt unum, sicut spiritus, aqua & sanguis sunt unum, ut hæc additio habet, vicerint Arriani.* Videtisne Pontificii, quam parum vos curemus; non tantum, ut vos, dicimus ex hoc loco Arianos non posse confundi à Catholicis; sed & Catholicos posse confundi ab Arianis? Idem porrò d. l. scribit: *Hi tres testes Christi in Ecclesia, ut ait Ioannes, sunt in unum, id est concordant suo testimonio, sive unam & eandem veritatem testificantur. Vides quòd sua ipsius verba, hi tres in unum sunt, exponit de unitate sive concordiâ testimonii, & non de unitate substantiæ, quia non est verum, quod spiritus, aqua & sanguis sunt una res, & una indivisibilis & indiscreta substantia, sicut in judicio secundum legem, in ore duorum aut trium stabit omne verbum, duo aut tres testes veraces non sunt unum substantiâ; sed sunt unum testimonio suo, id est unum & idem concorditer testificantur, id quod disertè in græco dicitur: hi tres in unum sunt, non dici-*

dicitur hi tres unum ſunt, tametſi etiam hoc habeat bonam & convenientem ſententiam, ſi intelligitur de unitate teſtimonii, ut dictum eſt. Nicolaus Hemmingius Daniæ clariſſimus Theologus, *Hi tres teſtes*, inquit, *Pater, λόγος & Spiritus ſanctus unum ſunt, id eſt, de eâdem Chriſti doctrina, & ſalute per illum conſequenda, conſentiunt, non ſecus atque unus teſtis eſſet. Quidam interpretantur, Vnum ſunt, ſcilicet eſſentiâ ſeu naturà divinâ: quæ ſententia etſi vera eſt, hoc tamen loco minimè congruit, quemadmodum ex ſequenti verſiculo patebit: in quo iſta interpretatio locum non habet.* Idem ſentit Ægidius Hunnius, Profeſſor Wittebergenſis. Atque hi triumviri ſunt Lutherani antiqui. Porrò & Ioannes Calvinus, Theologus Genevenſis, in h. l. ita commentatur: *Quod dicit tres eſſe unum ad eſſentiam non refertur; ſed ad conſenſum potius: ac ſi diceret, Patrem & æternum Sermonem ejus ac Spiritum, ſymphonia quadam Chriſtum pariter approbare. Itaque nonnulli codices habent εἰς ἕν. Verum etſi legis ἕν εἰσιν, ut eſt in aliis exemplaribus: non tamen dubium eſt quin Pater, Sermo & Spiritus eodem ſenſu dicantur unum eſſe, quo poſtea ſanguis, aqua & ſpiritus.* Nequis verò cum Pontificiis criminetur Calvinum, quaſi ipſe fuerit Arianus, dico zelum ejus in aſſerenda S. Trinitate ſatis perſpicuum eſſe ex eo, quod Michaëlem Servetum, blaſphemantem S. Trinitatem, flammis exurendum curaverit: imò

imò tantum abest, ut ipse cum Ario senserit, ut potius in alteram extremitatem proclivis negaret *Patrem Filio communicâsse essentiam*, (quem in eo sequitur Beza contra Heshus. scribens, *Dei Filium nullo modo ex Patris substantia genitum esse*,) duramque judicaret & ambiguam formulam Symboli Nicæni, *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero*, credens *Filium eße* αὐτόθεον. Et quamquam hæresis est dicere *Filium* αὐτόθεον, Calvinus tamen propterea non fuit hæreticus, quia ut quis meritò dicatur hæreticus, requiritur pertinacia: ego verò minimè persuadere mihi valeo, Calvinum tanta pertinacia dogma illud defensurum fuisse, ut se abdicari ob officio & in exilium mitti, nedum ut se igni exuri permisisset; quin potius resipuisset, & palinodiam cecinisset. Cæterum inter Reformatos non secus ac Calvinus locum istum exponunt Augustinus Marloratus Pastor Rotomagensis & Benedictus Aretius Theologus Bernensis. Et Theodorus Beza Theologus Genevensis h. l. explicat *de consensione in una eademque re testificanda*. Nec aliter sentit Dalæus h. l. Verum quid opus est multa coacervare, quibus probemus locum illum ad probandum tres personas esse in una numero essentia divina invalidum esse, cum nec ipse locus integer in sacris literis agnoscendus sit. Et certè quicunque mecum orthodoxi Lutherani & invariatæ Augustanæ Confessionis filii esse volunt,

tenen-

tenentur sentire hunc versum præter contextum & sententiam & præter rem quam agit illic Joannes, inaniter, impertinenter, audaciter, impiè & absque timore Dei additum videri ab Arianis, eundemque confirmare blasphemiam Arianorum. D. Lutherus enim illum præteriit in versione sua Germanica, editionibusque Witteberg. 1522. Basil. 1523. Witteberg. 1524, 1525, 1527. (licet hoc anno Lutherus ediderit versionem sui N.T. emendatiorem,) 1530, 1534, 1538, 1539, 1540, 1541, 1542, 1543, 1544, 1545, 1546, fol. cùm tamen quotannis Lutherus versionem suam cum Melanchthone, Crucigero, Aurigallo emendaverit. Et inprimis notandum, quod editioni N. T. Witteberg. 1546. 4°. præfixa sit præfatio, in quâ monentur Lectores, nequam editionem, quæ cum præsenti ad amussim non conveniret, pro genuina Lutheri versione haberent; verùm necdum in eâ locus, de quo agimus legitur. Inter editiones quæ vivente Luthero excusæ, sunt etiam referendæ impressæ Augustæ Vindelic. 1524. Argentorati 1524, 1530. Lubecæ 1533, 1534. Magdeburgi 1536. Lipsiæ 1541. Erfordiæ 1541. Jenæ 1546. quæ omnes etiam dicto loco carent. Post mortem autem Lutheri ejus versio prodiit Wittebergæ 1548, 1549, 1553, 1555, 1556, 1557, 1559, 1561 bis, 1565, 1566, 1570, 1571, 1572, 1574, 1575, 1584, 1588 & 1589, 1594, 1599, 1607. Vesaliæ 1552 cum notis Ioannis Bugenhagii.

E Magde-

Magdeburgi 1554, 1560, 1576. Antverpiæ apud Ruremundum 8° non addito anno editionis, ibid. in 12°. Francofurt. ad Mœnum 1560, 1567, 1570, 1580, 1582, 1596. Erfordiæ 1598. Neostadii 1587 & 88. Cassel. 1601. Goslariæ 1618. & ibidem a. 1614. impressa sunt verba illa literis minusculis, quasi ad glossam, non ad textum Scripturæ pertinentia. Hamburgi fol. 1596, 1619 & 20. Amstelodami 1627, octoginta & uno annis post mortem Lutheri, quæ etiam omnes editiones loco controverso destituuntur. Caret quoque illo Concordantia Germanicæ versionis Lutheri, elaborata opera Petri Geduldigs, & excusa Francofurti ad Mœnum a. 1571. Porrò conjicio probabiliter locum hunc deesse quoque in editionibus a. 1529, duabus a. 1535, 1562. Embdana 1554, 1556, 1565. Ienensi 1594. Wittebergensi 1605. quæ ad manus meas non pervenerunt. Regeritur quidem Lutherum propria manu hunc locum in N. T. Ienensi adscripsisse. Verùm Resp. 1. præfatio Bibliorum Ienensium impress. 1608. 4° expressè negat correctiones istas esse scriptas manu Lutheri. 2. eadem præfatio non meminit inter correctiones, quas recenset, hujus loci, quare puto locum illum, si margini adscriptus est, (non enim vidi,) demum post a. 1608. adscriptum. Neque video rationem, cur Lutherus quotannis, usque ad ipsum annum, quo mortuus est, sine istis, vel saltem istâ

cor-

correctione Wittebergæ versionem suam prodire passus fuisset: imò cur moneretur, nequa editio, quæ cum edita a. 1546. 4° ad amussim non conveniret, pro genuina Lutheri versione haberetur. In Francofurt. 1585. suspicor hunc locum extare, quia extat in editione bibliorum ibidem impressa fol. 1583. ubi verba ultima leguntur: und die drey sind beysammen. Omnibus dictis adde versionem Belgicam Lutheranam, quæ prodiit Amstelodami 1624. & Biblia per Leenaert der kinderen 1563. item 1578, vel 1572, & alias editiones Belgicas, ut & eam quæ edita est 1579, & Harlemi 1627, quæ secuta est editiones Germanicam Magdeburg. 1554. & Belgicas Embdæ 1558. & per Nicolaes Biestken 1560, eamque secuta editio 4° 1598. & alia eodem anno edita fol. per Pieter Sebastiaens/ & per Cornelis van Lochorst/ 1611, quæ hoc loco carent. Verisimile autem est Lutherum propterea versum istum in versione suâ præteriisse, quod idem de eo senserit cum Bugenhagio Pomerano, Collega suo. Audiamus verò quæ ille de eo in exposit. Ionæ scripserit: *In eo loco Ioannis de tribus testibus, addiderunt aliqui (præter contextum & præter sententiam, & rem quam agit illic Ioannes) de tribus testibus in cælo, & de tribus testibus in terrâ, facientes nobis sex testes, cum Ioannes tantum de tribus nominatim dicat, & non addat neque illud in cælo; neque illud in terra; sed sim-*

simpliciter semel tantum dicat : tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, sanguis, & hi tres in unum sunt, *&c. Quid attinebat impiè addere verbis sacris præter rem tres testes in cœlo? ut scriberent, quæ Ioannes non scripserat, sic :* Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. *Quæ additio satis audax & absque timore Dei, visa est quibusdam, ut beato Hieronymo, & post eum aliis, valere contra Arianos; sed revera confirmat blasphemiam Arianorum, contra quam acerrimè pugnat Ioannes in suo Euangelio & in suâ Epistolâ, ut videatur illa additio potius primum excogitata ab Arianis. Nam si sic Pater, λόγος, & Spiritus sanctus sunt unum, sicut spiritus, aqua & sanguis sunt unum, ut hæc additio habet, vicerint Arriani, quam blasphemiam tribuere Ioanni Euangelistæ est blasphemum in filium Dei, & in sacrum Christi testem Ioannem. Erasmus Roterodamus satis fideli labore, & judicio de hac additione impertinenti, scripsit bonam annotationem in hunc Ioannis locum, propter quod gratias ei agimus, qui fruimur alieno labore. Debemus enim bonis viris vel honorem, qui nobis laboraverunt. ——— Erasmus dicit apud Anglos unum codicem græcum repertum, in quo solo legitur nunc illa additio; in aliis autem exemplaribus græcis, quæ multa vidit, illam*

ad-

additionem non haberi, neque in multis latinis vetuſtis, atque adeò Hieronymi tempore hanc additionem in nullis latinis Bibliis fuiſſe; Hieronymum verò fuiſſe primum autorem, qui addiderit illam additionem latinis Bibliis, & contenderit malè antè neglectam, jam poſthac addendam, quemadmodum ipſe Hieronymus ſuis verbis fatetur præfatus in Epiſtolas catholicas: ——— *At Hieronymus dicit & contendit, hanc additionem forte telum futurum contra Arianos, quod quale ſit jam antè dixi. Non indigemus iſtis emendicatis ſuffragiis ad confirmandam coæqualitatem in divinâ trinitate. Verum Eraſmus non rectè fecit in hoc quod fatetur ſe feciſſe his verbis in illâ annotatione:,, Ex hoc igitur codice Anglica-,, no ſive Britannico repoſuimus*, inquit, *quod,, in noſtris dicebatur deeſſe, ne cui ſit anſa ca-,, lumniandi, tametſi ſuſpicor codicem illum,, ad noſtros eſſe correctum,,* &c. *Non rectè, inquam, fecit, quod ex illo uno codice græco, quem corruptum ſuſpicatur, corrupit illâ additione græcos alios codices, quos integros & incorruptos invenerat, ſiquidem addidit græcis illam additionem*, &c. (Nil mirum Eraſmum hac in re idem cum Socinianis Racovienſibus feciſſe, ipſe enim favebat Arianis.) *Obſecro igitur chalcographos, & eruditos viros, qui chalcographis adſunt, ut cùm rurſum poſthac Novum Teſtamentum græcè excudendum eſt, illam additionem omittant, & ita reddant & reſtituant græca ſuæ priori integritati & puri-*

 rita-

ritati propter veritatem, ad gloriam Dei, & vel hunc honorem habeant Erasmo defuncto, ne hanc depravationem sub nomine ejus in Epistola Ioannis relinquant, qui suo studio, & transferendi & annotandi labore voluit Scripturam Novi Testamenti purgatam, elucidatam, & suæ veritati & integritati restitutam. Ioannes de tribus testibus, qui in Ecclesia Christi videntur, & audiuntur, & sentiuntur etiam externis sensibus, usque ad diem judicii, tantum loquitur, & addit testimonium eorum de Christo, cum dicit, tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, sanguis, si testimonium hominum, &c. quos tres testes, etiam ante hæc verba nominavit, dicens: Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, &c. Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Christus Iesus, non in aquâ solùm; sed in aquâ & sanguine, Et Spiritus est, qui testificatur, quod Spiritus est veritas. Vt videas illam additionem esse inanem, & impertinentem, ut non repetam illa atrociora, quæ antè dixi. Idem fere ante Bugenhagium de h. l. scripsit Thomas Naogeorgus in explicatione hujus epistolæ, ut sequitur: *Ego locum istum, propter alterius sententiæ similitudinem ab aliquo adjectum existimo, non à Ioanne scriptum. Neque video quid ad hunc locum faciat. Non enim Ioannes hîc agit de personarum Trinitate (quam vocant) nec de divinitatis unitate, quæ aliàs sufficienter & clarè tradidit, sed ostendere vult, quibus testimoniis ostensus & declara-*

tus

tus sit Iesus quod sit filius Dei, & hactenus probetur & ostendatur. Neque hoc intelligere possum, cui rei faciat testimonium in cælo, quum in cælum nobis venientibus nullo opus sit testimonio. Videbimus enim facie ad faciem. Enimverò sanè in terris tam indigemus testimoniis, ut sine illis fides nostra consistere nequeat. D. M. Lutherus sincerus sacrarum literarum assertor; etiam illam particulam in suo Novo Testamento omisit, intelligens nimirum esse adulterinam, & nihil facere ad hunc locum. Ita tres hi antiquissimi fundatores ecclesiæ Lutherano-Euangelicæ. Vnde non mirum videatur Philippum Melanchthonem in loc. commun. Chytræum in Catechesi sua, & Sturmium in Promptuario exemplorum, ex hoc loco minimè probare Trinitatis unitatem. Hinc apparet quàm perversè, & contra mentem D. Lutheri, primorumque ejus familiarium, ac propagatorum Ecclesiæ Euangelicæ egerint, qui primò versum istum inserere ausi sunt versioni N. Test. B. Lutheri. Nam 1. injuria affecere S. Scripturam, speciatim S. Ioannem, cujus epistolam hac additione depravarunt, immemores contestationis ejusdem, quando Apoc. XXII. 18. scribit: *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto.* 2. Injuria affecere D. Lutherum, contra cujus mentem versionem ejus hac additione depravârunt, posthabita præfatione edit. Witteberg. 4° 1546. in quâ *monentur Lectores, nequam editio-*

nem, quæ cum præsenti ad amuſſim non conveniret, pro genuina Lutheri verſione haberent. 3. Arianis ſubminiſtrârunt locum, quo vel ſolo ex Bibliis Lutheranis petito, &, judice Bugenhagio, confirmante blaſphemiam Arianorum, nos confundere poſſunt: adeoque fecerunt Scripturam Arianam, hæreticam, blaſphemam. Si nunc antiqui illi viri, quibus omne noſtræ reformationis lumen debemus, ex mortuis reſurgerent, an putas agnituros hos impoſtores pro ſuis genuinis poſteris, pro veris Lutheranis? Imò pro ſpuriis, pro monſtris, pro abortibus haberent. Pudeat vos, ô Novatores, hujus tam inſignis & evidentis impoſturæ! Ex Reformatorum numero inter antiquiſſimos Henricus Bullingerus (qui a. 1531 in munere profeſſionis Tiguri ſucceſſit Zwinglio,) non ſolum locum hunc omiſit in recenſione hujus Epiſtolæ, ſed & Comment. in verſ. ſequentem: *Quidam*, inquit, *multis hìc agunt de unitate Trinitatis, ſed non in loco ſuo. Nihil enim hìc agit de unitate Trinitatis, quæ alibi commodiùs & firmiùs inducitur & comprobatur. Nam illud membrum, quod quædam inſertum habent exemplaria (quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Sermo & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt) è margine videtur irrepſiſſe*. Idem ſcribit Ioannes Oecolampadius, Reformatorum omnium cum Zvinglio antiquiſſimus, Theologus Baſiléenſis. Tremellius in verſionem Syriacam ita

ita annotat: *Totum septimum versiculum Syrum Testamentum omittit; sicut & multi græci codices, qui ita restitui posset, &c. Sed quia non modò in impresso, sed etiam in MS° codice Heidelbergensi omittebatur, textui inserere non sum ausus.* Brianus Waltonus Bibl. Polyglott. Præf. XIV. § 23. versionum Orientalium, inprimis, nisi fallor, Æthiopicæ, antiquitatem ab Apostolorum temporibus derivat & probat ex eo, quod careant loco nunc controverso. Quamobrem meritò omissus est in editionibus Tigurinis latinis fol. 1543, & 8° 1544, & 4° 1650. & in versione nova, quæ prodiit opera Roberti Stephani, Lutetiæ 1545, & denuò impressa est Hanoviæ, 4° 1605. Sandius in Interpr. Paradoxis firmissimè probavit ac tam solidè, locum hunc spurium esse, ut nonnisi impudentissimi temerariique hominis sit contra hiscere vel mutire. Frustra itaque contra eum nugatur & nugabitur Regiomontanus Novator, Syncretisticus Programmateus, Papizans tenebrio ac lucifuga. Ego cum D. Luthero, Bugenhagio, Naogeorgo, aliisque orthodoxis Lutheranis errare malo, quàm cum Syncretisticis istis Novatoribus & Nugatoribus bene sentire. Rationes autem Sandii sunt, quæ sequuntur: 1. quia deest in omnium antiquissimo codice græco MS° Theclæ, Zegero in hunc locum agnoscente, *testimonium illud non haberi in græcis, nisi recens recognitis*, iisque numero paucio-

ribus. 2. quia deest in codicibus MSSis Syriacis, Æthiopicis, (versionibus non diu post Apostolorum tempora adornatis,) Armenicis, Arabicis, ita ut nec Nestoriani in suo N. T. versum illum agnoscant. 3. quia deest in antiquissimis codicibus MSSis latinis, inque usitata & vulgata antiqua versione, adeò ut Erasmus dicat, Hieronymi tempore istam additionem in nullis latinis Bibliis fuisse; Hieronymum verò fuisse primum autorem, qui áddiderit illam latinis Bibliis. 4. quia deest inversione Russica, & Sclavonica vel Dalmatica, al. Illyrica dicta, cujus autor fertur Hieronymus: nempe intelligit antiquissimos versionis Ruthenæ & Illyricæ codices. 5. quia deest in editionibus græcis, Aldina Venet. 1518 fol. Frobeniana, Hagenoensi 1521 4°. Argentinensi Wolffii Cephalii 1524, 1526, 8°. Lutetiana Simonis Colinæi, 1534. ut & omnibus aliis, teste Seldeno, quæ ante Complutensia Biblia lucem viderunt: in editionibus Syriacis, Æthiopicis & Arabicis: in primâ editione versionis latinæ Erasmi a. 1516. qui se idcirco sententiam illam præteriisse affirmat, quia in græcis codicibus ea non legeretur. 6. quia nullus Græcorum Patrum eum unquam allegavit, licèt epistolam primam D. Ioannis totam exposuerint, imò licèt ingentia volumina contra Arianos & Eunomianos de Trinitate exaraverint. 7. Quia inter Latinos non allegatur vel agnoscitur à Tertulliano, Novatiano, vel quicunque alius Autor libri de Trinitate,

tate, Autore libri de duplici martyrio, qui legitur inter opera Cypriani, Vrſino monacho Afro, ab ævo Cyprianico non multum diſtante, judicio Labbei to. 1. Concilior. (qui legit: *Et Spiritus eſt, qui teſtimonium perhibet, quia Spiritus eſt veritas, quia tres teſtimonium perhibent, ſpiritus & aqua & ſanguis, & iſti tres in unum ſunt:*) Pſeudo-Euſebio PP. epiſt. 1. enarrante totum caput, de quo agimus: Epiſcopis Concilii Sardicenſis, Hilario, (qui tamen inter alia ſcripſit duodecim inſignes libros de Trinitate,) Ambroſio lib. de Spir. S. Fauſtino de fide contra Arianos, Cereale contra Maximinum, Auguſtino 3 lib. contra Maximinum Arianorum epiſcopum, c. 22. item de Trinitate l. 6. V. 6. VI. 5. VII. 6. & in hanc epiſt. Eucherio Lugdunenſi quæſt. difficil. N. T. in epiſt. Ioh. Leone PP. epiſt 10. c. 5. Paſchaſio de Spiritu S. Pelagio PP. epiſt. 1. Benedicto PP. Gregorio PP. Beda h. l. Hincmaro de prædeſtinatione, qui legit eodem modo, quo ſupra Vrſinus. His addendi Pſeudo-Alexander PP. epiſt. 1. c. 6. Pſeudo-Sixtus PP. epiſt. 1. 8. quia Auguſtinus & Eucherius d. l. ex verſu ſequenti contra Arianos probant unitatem Trinitatis, interpretantes per Spiritum, ille Patrem; hic Spiritum Sanctum: per ſanguinem, Filium: per aquam, ille Spiritum; hic Patrem: quâ torſione opus non fuiſſet, ſi de verſu præcedenti, nunc controverſo, quicquam inaudiviſſent. 9.

Quia nemo unquam Arianis objecit, quasi istum locum ex sacris eraserint, qui etiam ante Arium defuit, ut liquet ex allegatione Vrsini Afri. 10. quia manifesto indicio ex margine irrepsisse, in allegatione Pseudo-Hygini PP. epist. 1. MS° latino Berolinensi, MSSis belgicis, & editionibus antiquissimis, tum germanicis, tum belgicis, tres testes in cœlo postponuntur tribus testibus in terra. 11. quia Erasmus putat Hieronymum fuisse primum autorem, qui addiderit istam additionem latinis Bibliis. Hieronymum sanè falsarium S. Scripturæ dictum fuisse, liquet ex ejus epistola ad Eustochium: idque à multis episcopis, & inter alios ab Augustino. Vide Brian. Walton. Præf. X. § 4. in Bibl. Polyglott. Meritò ergò dubitat Thomas de Vio Cajetanus, *an hæc verba sint de textu quoniam non inveniantur in omnibus codicibus, sed in aliquibus*. Porrò de verbis illis vers. 8. *& hi tres unum sunt*: scribit Thomas Aquinas opusc. 24. *Hoc in veris exemplaribus non habetur, sed in quibusdam libris dicitur esse appositum ab hæreticis Arrianis, ad pervertendum intellectum sanum authoritatis præmissæ de unitate essentiali trium personarum*. Vnde apparet Thomam idem sensisse cum Bugenhagio scribente: *Si sic Pater, λόγος & Spiritus sanctus sunt unum, sicut spiritus, aqua & sanguis sunt unum, ut hæc additio habet, vicerint Arriani*: (adeoque uterque cum Nihusio implicitè improbat proba-

bationem Trinitatis unitatis ex testibus in terra, quâ utuntur Augustinus & Eucherius:) at propterea potius versus septimus omittendus, quàm illa verba v. 8. *& hi tres unum sunt*, quæ etiam ante Arium agnoscuntur ab Origene to. 6 in Ioann. & Vrsino monacho, ut vidimus. Legit ea quoque Pseudo-Hyginus epist. 1. utut alio modo.

XII. 1. Ioann. v. 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt.* Ex his verbis probant Augustinus & Eucherius unitatem essentialem Trinitatis, interpretantes ille spiritum Patrem, hic Spiritum S. aquam ille Spiritum sanctum, hic Patrem; sanguinem Filium. Contra Thomas Aquinas opusc. 24. *Illud, & hi tres unum sunt, in veris exemplaribus non habetur, sed in quibusdam libris dicitur esse appositum ab hæreticis Arrianis, ad pervertendum intellectum sanum authoritatis præmissæ de unitate essentiali trium personarum;* Nihusius Artis Novæ parte 1. c. 15. *Lutheranus contra Antitrinitarios allegabat S. Ioannis illud:* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt, *sed nihilo plus hic dicitur, quàm tres illos unum esse; unde necdum sequitur, esse eos unius essentiæ; nempe quia sequeretur aliàs tale quid etiam è textu proximè sequente,* Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Vnde rectè olim scripsit Ambrosius de tribus testibus in terrâ lib. 3. de Spir. S.

cap. 11. *Vnum ſunt in myſterio, non in natura.* Ex noſtris Bugenhagius in Ionam: *Si ſic Pater, λόγος & Spiritus ſanctus ſunt unum, ſicut Spiritus, aqua & ſanguis ſunt unum, ut hæc additio habet, vicerint Arriani.---- Hi tres teſtes Chriſti in eccleſia, ut ait Ioannes ſunt in unum, id eſt concordant ſuo teſtimonio, ſive unam & eandem veritatem teſtificantur. Vides quod ſua ipſius verba, hi tres in unum ſunt,* (quemadmodum etiam quidam verſ. præced. legunt,) *exponit de unitate ſive concordiâ teſtimonii, & non de unitate ſubſtantiæ, quia non eſt verum, quod ſpiritus, aqua & ſanguis ſunt una res, & una indiviſibilis & indiſcreta ſubſtantia, ſicut in judicio ſecundum legem, in ore duorum aut trium ſtabit omne verbum, duo aut tres teſtes veraces non ſunt unum ſubſtantiâ; ſed ſunt unum teſtimonio ſuo, id eſt unum & idem concorditer teſtificantur, id quod diſertè in græco dicitur: hi tres in unum ſunt, non dicitur hi tres unum ſunt, tametſi etiam hoc habeat bonam & convenientem ſententiam, ſi intelligitur de unitate teſtimonii, ut dictum eſt.* Nicolaus Hemmingius, *Hi tres teſtes,* inquit, *Pater, λόγος & Spiritus ſanctus unum ſunt, id eſt, de eâdem Chriſti doctrinâ, & ſalute per illum conſequenda, conſentiunt, non ſecus atque unus teſtis eſſet. Quidam interpretantur, Vnum ſunt, ſcilicet eſſentiâ ſeu natura divina: quæ ſententia etſi vera eſt, hoc tamen loco minimè congruit, quemadmodum ex ſequenti*

quenti versiculo patebit: in quo ista interpretatio locum non habet. Ex Reformatis Io. Calvinus h. l. *Quod dicit tres esse unum, ad essentiam non refertur, sed ad consensum potius: ac si diceret, Patrem & æternum Sermonem ejus ac Spiritum, symphonia quadam Christum pariter approbare. Itaque nonnulli Codices habent* εἰς ἕν. *Verum etsi legis* ἕν εἰσιν, *ut est in aliis exemplaribus: non tamen dubium est quin Pater, Sermo & Spiritus eodem sensu dicantur unum esse, quo postea sanguis, aqua & spiritus.* Bullingerus h. l. *Quidam multis hic agunt de unitate Trinitatis, sed non in loco suo. Nihil enim hîc agit de unitate Trinitatis, quæ alibi commodius & firmius inducitur & comprobatur. Nam illud membrum, quod quædam insertum habent exemplaria* (quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Sermo & Spiritus sanctus & hi tres unum sunt) *è margine videtur irrepsisse. Annotavit id forsan sciolus aliquis, qui non vidit aqua significari cœlestem doctrinam, sanguine redemptionem, & spiritu virtutem, & administrationem divinam. Fecit itaque ex aqua Patrem, eo quod ex aqua omnia generari dicantur: ex sanguine Filium, eo quod sanguinem fuderit: sed ex spiritu personam Spiritûs sancti. Verum plura hujus generis annotata sunt & ab Erasmo in eruditissimis illis suis in Novum Testamentum annotationibus.*

XIII. Apoc. IV. 8. *Sanctus, sanctus, sanctus;*

ctus, Dominus Deus omnipotens, qui fuit, & qui est, & qui venturus est. Vide Calvinum h. l. Hæc verò sunt testimonia Vet. & Novi Testamenti infirma ad probandum Trinitatem personarum in Deo, ejusque unitatem essentialem. Nunc examinabimus ea quæ invalida judicantur ad probandum Filii summam deitatem.

XIV. Genes. XIX. 24. *Pluit Dominus à Domino.* Calvinus h. l. *Quod veteres Christi divinitatem hoc testimonio probare conati sunt, minime firmum est: ac sine causa meo judicio tumultuantur, qui acrius Iudæos exagitant, quia non admittant tale probationis genus.* Plura de hoc argumento vide quæ dixi supra loco V.

XV. Psalm. II. 7. Hebr. I. 5. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Gabriel Vasquez to. 1. in 1 part. Tho. disp. 18. cap. 2. *Ego, ait, censeo unicum tantùm esse sensum loci Psalm. II. quem mea sententia Paulus Actor. XIII. palam expressit, nimirum resurrectionis Christi secundum humanitatem; de cujus resurrectionis die intellexit illud,* Ego hodie genui te, *hoc est, ut exponit Hilarius, suscitavi te: cui convenit Ambrosius his verbis:* Quando redemisti populum, quando ad cœli regnum vocâsti, quando implêsti voluntatem meam, probâsti meum te esse Filium. *Illud ergo* hodie *diem significat, quo absoluta causa redemptionis humanæ, se esse genitum à Patre Christus declaravit. Sic autem*

tem non ipsa generatio æterna; sed illius manifestatio in gloriosa resurrectione eo Psalmo describitur, sicut ad Rom. I. dicitur: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute & resurrectione mortuorum, hoc est in resurrectionis die declaratus. Hoc autem voluisse Paulum Actor. XIII. eo testimonio probare, contextus ipse demonstrat: nam cum dicit, sicut scriptum est, *particula* sicut *refertur ad id, quod præcessit: vel ergò ad promissionem factam, vel ad impletionem promissionis: neutri autem quadrare potest: superest igitur ut referatur ad illud,* resuscitans Iesum, &c. *Ad æternam verò generationem aut divinitatem Christi, non video quo pacto referri possit, ut Beda & alii volebant. Tum quia sic nulla esset conjunctio textûs, tum etiam quod nulla eo capite divinitatis aut generationis æternæ fiat mentio. Circumstantiæ verò Psalmi perspicuè indicant, eam partem intelligendam esse de Christi humanitate: nam quod dicitur, constitutus Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, de Christo secundum humanitatem intelligitur: sicut & illud,* Postula à me & dabo tibi gentes, &c. *quod in ipso resurrectionis tempore impletum est, in quo Christus Matth. ult. dixit:* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergò docete omnes gentes, *quas scilicet Deus dederat ipsi in hæreditatem & possessionem. Resurrectio quoque in scriptura generatio dicitur Matth. XIX.* In regeneratione cum sederit

filius

ctus, Dominus Deus omnipotens, qui fuit, & qui est, & qui venturus est. Vide Calvinum h. l. Hæc verò sunt testimonia Vet. & Novi Testamenti infirma ad probandum Trinitatem personarum in Deo, ejusque unitatem essentialem. Nunc examinabimus ea quæ invalida judicantur ad probandum Filii summam deitatem.

XIV. Genes. XIX. 24. *Pluit Dominus à Domino.* Calvinus h. l. *Quod veteres Christi divinitatem hoc testimonio probare conati sunt, minime firmum est: ac sine causa meo judicio tumultuantur, qui acrius Iudæos exagitant, quia non admittant tale probationis genus.* Plura de hoc argumento vide quæ dixi supra loco V.

XV. Psalm. II. 7. Hebr. I. 5. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Gabriel Vasquez to. 1. in 1 part. Tho. disp. 18. cap. 2. *Ego, ait, censeo unicum tantùm esse sensum loci Psalm. II. quem mea sententia Paulus Actor. XIII. palam expressit, nimirum resurrectionis Christi secundum humanitatem; de cujus resurrectionis die intellexit illud,* Ego hodie genui te, *hoc est, ut exponit Hilarius, suscitavi te: cui convenit Ambrosius his verbis:* Quando redemisti populum, quando ad cœli regnum vocâsti, quando implêsti voluntatem meam, probâsti meum te esse Filium. *Illud ergo* hodie *diem significat, quo absoluta causa redemptionis humanæ, se esse genitum à Patre Christus declaravit. Sit autem*

tem non ipsa generatio æterna; sed illius manifestatio in gloriosa resurrectione eo Psalmo describitur, sicut ad Rom. I. dicitur: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute & resurrectione mortuorum, hoc est in resurrectionis die declaratus. Hoc autem voluisse Paulum Actor. XIII. eo testimonio probare, contextus ipse demonstrat: nam cum dicit, sicut scriptum est, *particula* sicut *refertur ad id, quod præcessit: vel ergò ad promissionem factam, vel ad impletionem promissionis: neutri autem quadrare potest: superest igitur ut referatur ad illud,* resuscitans Iesum, &c. *Ad æternam verò generationem aut divinitatem Christi, non video quo pacto referri possit, ut Beda & alii volebant. Tum quia sic nulla esset conjunctio textûs, tum etiam quod nulla eo capite divinitatis aut generationis æternæ fiat mentio. Circumstantiæ verò Psalmi perspicuè indicant, eam partem intelligendam esse de Christi humanitate: nam quod dicitur, constitutus Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, de Christo secundum humanitatem intelligitur: sicut & illud,* Postula à me & dabo tibi gentes, &c. *quod in ipso resurrectionis tempore impletum est, in quo Christus Matth. ult. dixit:* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergò docete omnes gentes, *quas scilicet Deus dederat ipsi in hæreditatem & possessionem. Resurrectio quoque in scriptura generatio dicitur Matth. XIX.* In regeneratione cum sederit filius

filius hominis, & ad Coloſſ. I. Chriſtus *appellatur* primogenitus mortuorum. *Vtrum verò Pſalmus ille in ſenſu literali de Chriſto, an ſolùm myſticè ſub figura Davidis, intelligendus ſit, non eſt hoc loco diſputandum: ſic ergò intelligerem illorum Patrum ſententiam, qui putant hoc teſtimonio temporalem Chriſti generationem ſignificari, ut non ad eam, quæ in utero virginis facta eſt, ſed ad reſurrectionem modo explicato referatur.* Hactenus Vaſquez. Euthymius in Pſalm. ex tranſlatione Philippi Sauli epiſcopi Brugnatenſis: *Quod ait* hodie, *intellige ut ad diſtinctionem æternitatis ſit dictum, ut tempus ſignaret, hoc eſt in temporibus his: genui autem poſuit pro creavi. Pater namque creaturarum omnium Deus dicitur; ut eorum formator & factor.* Hiſcum conſentiunt Cyprianus lib. 2, 7. cont. Iudæos, Hilarius, Athanaſius, Cyrillus de Trinit. Chryſoſtomus, Theodoretus, Antonius Flamminius, Adamus Saſbout, Iſidorus Clarius, Alfonſus Salmeron. At noſtrates non ita talpæ ſunt, ut eandem veritatem etiam non perſpexerint. Bugenhagius certè h. l. τὸ hodie *in ſacris proæternitate non capi* aſſerit, *idque magis argutum, quàm Theologicum eſſe, ad tempus revelatæ ſalutis Pſalmum reſpicere, & Act. XIII. de reſurrectione explicari, ac non de Chriſti divinitate, ſed ſecundum hominem glorificatione, & ejus in regnum conſtitutione intelligi* ait, idque multis confirmat. Conſentit cum

co

eo Nicolaus Hemmingius h. l. Calvinus h. l. *Scio locum hunc de æterna Christi generatione à multis fuisse expositum, qui & nimis argutè in verbo* hodie *philosophati sunt, acsi perpetuum actum extra tempus significaret.* Idem: *Frivola est Augustini argutia, qui* hodie *æternum fingit.* Similiter Marloratus & Piscator.

XVI. Psalm. LXXXVIII. 5. *Et de Sion dicetur, vir & vir natus est in eâ, & ipse confirmabit eam altißimus.* Bugenhagius: *Piè quidem hoc interpretati sunt quidam de Christo Deo & homine nato, sed nihil ad rem.* ——— *Pium quidem hoc & præterea argutum, sed cum hic versus hoc non habeat, cur blasphemis Iudæis præstamus irridendi occasionem, quasi non habeamus satis clara ex Scripturis testimonia de Domino Christo Deo & homine.*

XVII. Psalm. CX. 1. *Dixit Iehovah Domino meo, sede à dextris meis.* Esromus Rudingerus nostras, præterito seculo Professor Theolog. Wittebergensis, h. l. *Hoc Esaiæ XXV. 9.* Ecce Deus noster iste, expectavimus eum & salvabit nos; *obscurius est, aut minus saltem evidens. Sicut & quæ sunt Ieremiæ XXIII. & XXXIII.* Vocabitur Dominus *vel* Iehovah Iustitia nostra, *vel etiam* Iustificator noster. *Et possunt hæc etiam ad Deum Patrem ipsum, qui mittit Meßiam, referri, qui est Iehovah initio Psalmi CX: cum sit:* Dixit Iehovah Domino meo: *& in Hebræo non idem verbum ibi de utroque usurpe-*

petur, sed simpliciter Meßiam filium suum David ibi etiam Dominum suum appellat. Inter Reformatos ex primis Martinus Bucerus h. l. in Matth. XXII. 43. *Priore loco apud Hebræos legitur* יהוה *secundo autem loco* אדני *q. d. Deus æternus dixit Domino meo Christo.* Calvinus: *Sed occurrit quæstio: Annon extollere potuerit Deus quem ex hominum genere redemptorem dabat, ut Davidis esset Dominus, licèt filius. Nam & hîc non substantiale Dei nomen, sed tantùm Adonai ponitur, quod sæpe & hominibus aptatur,* &c. —— *Fatemur quidem hîc disertè & ad verbum non exprimi divinam ejus essentiam.* Piscator in scholiis ad Act. XI. 34. *Dixit Dominus* ὁ κύριος, *Heb.* יהוה *Domino meo* τῷ κυρίῳ μου, *Heb.* לאדני *ubi nomen* אדון *generale est, quod alias etiam puris hominibus tribuitur. Notatur autem eo potestas atque autoritas in subjectos. Sede ad dexteram meam,* κάθου ἐκ δεξιῶν μου *id est, regna tanquam proximus à me. Metaphora à consuetudine hominum: apud quos interdum filius nomine patris regnat, & vi honoris atque potestatis illius testimonium ad dexteram ejus sedere solet. Confer* 1. *Cor. XV.* 25. Calvinus apud Marloratum ad Actor. VII. 56. *Seßio ad dexteram metaphoricè accipitur pro secundo vel proximo regni gradu, quem Dei vicarius Christus in carne, in quâ humiliatus fuerat, traditum à Deo accepit. Quare tantundem valet ac suum imperium ac potentiam vel potestatem obtinere Dei nomine,* &c.

XVIII.

XVIII. Psalm. CX. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Lutherus epistola ad Hieron. Dungersheym: *Primum,* inquit, *mi vir egregie, credo te nosse hunc versum Psalmi* 110. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ante Luciferum genui te, *esse de divinitate Christi adversus Arium, velut summum, ac inter prima, argumentum agitatum, ut legis in Tripartita & in Augustino, ita ut græca & latina ecclesia hoc sensu eum Psalmum teneat etiam cantu celebratum in officio divino: non tamen ob hoc Lyram, Burgensem, imò hebræam linguam hæreticabis: ubi legitur, hunc versum non posse quidem de divinitate intelligi. Quare non semper claris & apertis authoritatibus contra hæreticos pugnant Sancti Patres. Quot autoritatibus abutitur Hieronymus contra Iovinianum? Augustinus contra Pelagianum? & alii contra alios?* Calvinus etiam in Institut. c 6. de fide, sect. 10. *Nec valde etiam firmum est,* scribit, *quod subinde assumunt* (veteres pro probanda æterna Filii ex Patre generatione) *ex Psalmis:* Ex utero ante Luciferum genui te, *cum versio ista nequaquam Hebraïcæ veritati consentiat, quam scio habere:* Ab utero auroræ tibi ros nativitatis tuæ.

XIX. Esaïæ VII. 14. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Erasmus in Apol. ad Stunicam Ioann. cap. 1. *Christus hic non* Deus *nominatur, sed* Deus cum illo: *sicut etiam Deus est in aliis, quibus favet.*

XX. Esaï.

XX. Esai. IX. 6. *Deus fortis, pater æternitatis*, vel *futuri seculi*. Adam Sasbout h. l. *Dionysius Carthusianus in Comm. in h. l. annotat apud Hebræos esse nomen tetragrammaton, seu ineffabile, sed falsus est. Habent enim Hebræi hoc loco* אל El: *quod nomen secundum Moysen Ægyptium in libro Perplexorum primo convenit non solum Deo, sed & angelis & hominibus admiratione dignis. Vnde non videtur ex hoc loco efficaciter posse colligi, Christum esse Deum, contra protervientem.* Lutherus vertit ipse loco Dei Hald / & in Postilla maj. in lect. ex h. l. desumpt. ostendit, hoc loco divinitatem Christi non probari. Verba Hebræa *El, Elohim, Elohai*, significant duntaxat *fortem, potentem, robustum*. In eundem sensum scribit Esromus Rudingerus Paraph. Psalmi CX. v. 1. *Quod Esaiæ IX.* Deus fortis *nominatur Meßias, id & alii aliter interpretantur. Et constat Dei nomen tribui etiam metaphoricè in Hebræo iis quæ excellunt, & angelis, & heroïbus, & magistratui, & interpretantur aliqui ibi, non* deum, *sed* fortem *vel* heroem. *Immanuelis autem nomen & περιφραστικῶς interpretari licet, & translatè.* Calvinus h. l. *Notandum est illos titulos non adventitios esse, sed ad rem præsentem accommodari. Docet enim propheta, quatenus se Christus ostensurus sit erga fideles. Nec verò de arcana ipsius essentia disserit, sed commendat ejus virtutes, quos fidei experientia sentimus.* Porrò ex Pontifi-

ciis

ciis Nicolaus Lyranus, Franciſcus Vatablus, Benedictus Arias Montanus; ex Lutheranis Matthias Flacius Illyricus; ex Reformatis præter Calvinum Sebaſtianus Munſterus & Rudolphus Gualterus, aſſerunt, vel ſaltem inſinuant hunc locum aliter explicari debere, quàm de Chriſti æternitate vel ſuprema divinitate. Immeritò ergò Pontificii Lutherum, ex eo quod non vertit *Deus* fortis, Ariani-ſmi inſimulant; cum non deſint ex ipſorum numero, qui idem ſenſerint, ut Sasboutus.

XXI. Eſaiæ XXV. 9. *Ecce Deus noſter iſte, exſpectavimus eum & ſalvabit nos.* Eſromus Rudingerus Paraphr. Pſalmi CX. v. 1. *Hoc Eſaiæ* (ait) *obſcurius eſt, aut minus ſaltem evidens. Sicut & quæ ſunt Ieremiæ XXIII. & XXXIII.* vocabitur Dominus *vel* Iehovah Iuſtitia noſtra, *vel etiam* Iuſtificator noſter. *Et poſſunt hæc etiam ad Deum Patrem ipſum, qui mittit Meßiam, referri, qui eſt Iehovah initio Pſalmi* 110. *cum ſit:* Dixit Iehovah Domino meo: *& in Hebræo non idem verbum ibi de utroque uſurpetur, ſed ſimpliciter Meßiam filium ſuum David ibi etiam Dominum ſuum appellat.*

XXII. Eſaiæ LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Verſio Dordracena, en wie ſal ſijnen leeftijt uytſpreken. Calvinus h. l. *Hoc loco,* inquit; *abutebantur veteres adverſus Arianos, cum æternam Chriſti generationem probare vellent. Sed apertioribus ſcripturæ teſtimoniis contenti eſſe debuerant, ne ſe ri-*

ridiculos hæreticis præberent, qui hac occasione interdum pervicaciores redduntur. Exceptio enim prompta erat, Prophetam de hac re ne cogitasse. In Instit. cap. 6. de fide, sect. 10. *Veteres qui æternâ Filium generatione à Patre extitisse sentiebant, eam ostendere ex Esaïæ testimonio conati sunt: Generationem ejus quis enarrabit? Hallucinatos fuisse palam est. Non enim illic quomodo filius genuerit, sed quàm diuturno tempore regnum ejus propagaturus esset, tractat propheta.*

XXIII. Esaïæ LXVI. 9. *Num ego contererem, & non facerem parere, dicit Dominus? Num ego facio parere, & cohibeo, dicit Deus tuus?* Ioh. Oecolampadius: *Quidam hunc locum contra Arianos proferunt, sed ab illis deridentur: imbelle enim in seriæ disputationis conflictu telum fuerit.*

XXIV. Hierem. IX. 10. *Neque audient vocem pecudum, gr.* ὐσίας *substantiæ.* Bugenhagius h. l. contra Athanasium disputat, *quod ex hoc loco, & aliis similibus, minus tamen validis, contra Arianos probare voluerit* ὐσίαν *de Deo in sacris dici, &* ὁμοούσιον *inde elicuerit.*

XXV. Hierem. XXIII. 6. *vocabitur Dominus (Iehovah) justitia nostra.* Esromus Rudingerus Paraphr. Psalmi CX. 1. *Potest hoc etiam ad Deum Patrem ipsum, qui mittit Messiam, referri.* Vide locum XXI.

XXVI. Hierem. XXXIII. 16. *Dominus (Iehovah) justitia nostra.* Vide loco præcedenti Esromum Rudingerum.

XXVII.

XXVII. Daniel. III. 25. *Aspectus quarti similis est filio Dei.* Amandus Polanus à Polansdorff Theol. Basileensis h. l. scribit: *At probationibus fidei utendum non est nisi urgentibus & prementibus adversarios, alioqui ludibrio fidem nostram exponimus exteris, qui putant nos istiusmodi incertis argumentis vel potius conjecturis uti. Proinde bona pace Patrum istorum* (Epiphanii, Augustini, &c.) *liceat dicere ex hoc loco personam unigeniti Filii Dei non posse probari. Primò, quia Nebucadnezar non asserat quartum esse filium Dei, sed ait duntaxat ejus formam esse similem filio Dei, seu potius filiorum, id est venustissimam & quasi divinam. Secundò, quia loquitur more ethnico & gentili, filium deorum vocans, quemadmodum formosos & eximia venustate præditos quosque nominare soliti sunt* ἀντιθέους, θεοεικέλους, θεοειδεῖς. *Tertiò quia ignoravit unigenitum illum Dei filium. Neque enim illius agnitio simul potuit consistere cum tot pravis erroribus, quibus impius Rex fuit excæcatus, ut ante visum est. Quartò, quia ipsemet infra v. 28. tunc quartum appellat Angelum à Deo Israëlis missum. Siquis excipiat Nabucadnezarem quidem citra scientiam certam, sed divinitus tamen de unigenito Dei filio locutum, ut factum est à Saule, Caipha, Pilato & aliis; esset hoc coactum & probatione egeret. Vero igitur magis consentaneum loqui regem Nebucadnezarem ex consueto more, quod quispiam ex Angelis fuerit missus*

ad illos tres viros, quia angelos ethnici agnoverant, teste Cypriano libro de Idolorum vanitate, & apud omnes populos receptum erat promiscuè quoslibet angelos vocare filios Dei, quia scilicet in illis quædam divinitas fulgeret.

XXVIII. Mich. V. 2. *Egreßus ejus ab initio, à diebus seculi:* Calvinus: *Scio quosdam insistere pertinacius, quod hic loquatur Propheta de æterna essentia Christi;——Sed quia hoc nunquam extorquebitur à Judæis, malo simpliciter accipere quod sonant Prophetæ verba, Christum non ita repente proditurum ex Bethlehem, quasi de eo nihil Deus statuißet. Egressus ergò ejus sunt ab initio inquit. Alii etiam afferunt novam argutiam, quod plurali numero propheta egreßus vocet propter duplicem Christi naturam, sed subest absurditas, quia neque propriè neque scitè conferret Propheta naturam humanam Christi cum divina, quantum attinet ad æternitatem.*

XXIX. Zachar. I. 8. *Et ecce vir vectus equo rufo.* Drusius: *Hunc virum alii Christum putant, alii angelum Michaëlem, quem præesse dicunt genti Hebrææ.* Hieronymus h. l. *Ebræi Michaëlem angelum putant, qui ultor iniquitatum & peccatorum sit Israël.* Theodoretus in Num. quæst. 42. *Ajunt nonnulli angelum Michaëlem populi præsidem aut præfectum esse.*

XXX. Zachar. XII. 10. *Effundam super domum David, & super habitatores Hierusa-*

ſalem, ſpiritum gratiæ & precum, ut aſpiciant ad me, eum videlicet quem transfixerunt, plangentque ſuper eo, ut ſolet ſuper unicè dilecto: acerbè & amarè habebunt, ut ſolet quis ſuper primogenito. Calvinus: *Siquis velit notari perſonæ diſtinctionem non repugno, ſed vereor ne* (pro *ut*) *hæc argutia nimis firma ſit,* &c.

XXXI. Baruch III. 36, 37, 38. *Is eſt Deus noſter, cui non eſt comparandus alius: qui adinvenit omnem rationem ſcientiæ, eamque ſervo ſuo Iacob, & Iſraëli ſibi perchаro tradidit, quæ deinde comparuit in terrâ, & egit inter homines.* Io. Pappus de h. l. ſcribit: *Quod latina Interpretatio ad ipſum Filium Dei & incarnationem ejus poſtremum regnum videtur referre, græca verba de ipſâ quoque lege commodiſſimè exponuntur, neque cætera quæ vel præcedunt vel ſequuntur, de ipſo Meſſia quicquam habent.*

XXXII. Matth. VIII. 9. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & habeo ſub me milites, & dico huic vade & vadit: & alii veni, & venit: & ſervo meo fac hoc, & facit.* Calvinus h. l. *Vix,* inquit, *credibile eſt, de Chriſti divinitate, quæ adhuc fere omnibus ignota erat, rite fuiſſe edoctum. Porrò Chriſtus non errori imputat ejus verba, ſed ex fide profecta eſſe teſtatur; atque hæc ratio multos interpretes compulit, ut Chriſtum putarent Centurionis elogio celebrari tanquam verum & unicum Deum,* &c.

XXXIII. Matth. XIX. 17. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Calvinus h. l. *Hanc correctionem multi interpretum sic accipiunt, ac si suam Deitatem insinuet Christus: tantundem enim valere putant hæc verba ac si dixisset: Si in me nihil altius agnoscis naturâ humana, falsò elogium boni, quod convenit soli Deo, in me transfers. Sed simplicius hæc sunt accipienda. Fatemur quidem homines propriè loquendo, minimè tam honorifico titulo dignos esse, ac ne angelos quidem, quia nec bonitatis guttam à se habent, sed à Deo mutuantur: deinde quia in illis tantum inchoata est bonitas, non perfecta. Sed Christi non aliud consilium fuit, quam fidem suæ doctrinæ asserere, ac si dixisset: Tu me falsò vocas bonum magistrum, nisi à Deo profectum agnoscis. Ergò non hic asseritur Deitatis essentia; sed ad fidem doctrinæ habendam deducitur juvenis.——Christus ut doctrinæ suæ authoritatem conciliet, juvenem ad Deum revocat.*

XXXIV. Ioh. I. 1. *IN PRINCIPIO erat Verbum.* Quidam per principium æternitatem absolutam, quæ caret principio & fine, intelligunt, verùm Maldonatus aït, nomen principii pro æternitate vix positum inveniri: unde ipse ac cum eo Beza per principium h. l. idem principium intelligunt, quod in initio Genesis legitur. Rudolphus Gualterus h. l. *Plerique*, ait, *nostrùm* æternitatem *denotari putant, & ex illa argumentum deduci ajunt, quo Christi divinitas*

pro-

probetur. Quod etsi verum sit, non tamen sequitur, quod Principii *vox per* æternitatem *exponi debeat. Neque aliqua solida ratio apparet, ob quam voce usus sit Apostolus, quæ* æternitati *nequaquam convenit. Cum enim æternum dicatur, quod principio & fine caret, quomodo, quod* æternum *est*, principii, *nomine declarari potest? Et frustra hæreticis objiciuntur argumenta, quæ scripturis sensum dubium aut saltem obscurum obtrudant, eo quod ex iis illi novam rixandi occasionem arripiunt.* Consentit Calvinus: & Hugo Grotius h. l. ἐν ἀρχῇ, inquit, est *cùm primum rerum universitas cœpit creari.*

XXXV. Ioh. I. 1. *In principio ERAT Verbum.* Calvinus: *Qui ex tempore verbi imperfecto colligunt perpetuum statum, non satis firma ratione nituntur. Verbum* Erat, *inquiunt, continuam seriem magis exprimit, quam si dixisset Iohannes* Fuit. *Sed in tantis rebus magis solidè argumentandum est.*

XXXVI. Ioh. I. 1. *Et Deus erat Verbum.* Erasmum memini allegatum legisse in hæc verba: *Si hic in hoc capite filius Dei Iesus Christus ita apertè & dilucidè dictus sit Deus, ut nulla superesset ambiguitas, & quid opus fuisset tot argumenta è diversis locis conglobare (illis scilicet antiquis scriptoribus) quibus veritate destituti & manifesto verbo Dei conabantur Arianos obruere. Et quod sciam Irenæus antiquus scriptor nullibi Verbum Deum vocat, sed Verbum Dei, ut lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 20, 21.*

sæpißime repetens & lib. 4. cap. 51. & lib. 5. fol. 316. & 333. præterquam uno in loco, si codex mendo caret. At ubi id scripserit Erasmus ignoro, nec verisimile est eum ita scripsisse: sunt enim hæc indigna Erasmo tanto viro, qui in Philipp. II. 6. scribit, *Ariani non negabant filium Dei esse deum, imò & magnum deum fatebantur, & benedictum super omnia deum.* Adeo ut & Eusebius Arianus contra Marcellum Nicænæ fidei propugnatorem, judicio Iulii PP. Conciliique Sardicensis & aliorum catholicum, urserit h. l. legi, *Deus erat Verbum*, non *Dei erat Verbum*: ita enim scribit de Eccles. Theol. II. 12. Et Deus *dixit* erat Verbum: *non* & Dei erat Verbum. *Ne nos existimaremus, Verbum illud Dei operationis significativum aut effectivum esse.* cap. 17. *Vel dicere debuerat*, & Dei erat Verbum: *vel*, ille Deus erat Verbum, *adjecto nempe articulo, si cum Marcelli sententia scriptura conspirasset. At nunc & ipsum Verbum Deum esse insinuat.* lib. 3. cap. 2. *Unde addit*, & Deus erat Verbum, *non dicens*, & Dei erat Verbum. Ideo autem hunc locum, ut & alios similes, ubi Filius Deus sine articulo dicitur, invalidos dico, quod Ariani & Sociniani non negant Christum esse deum (in græco dictum sine articulo,) magnum deum & verum deum: cum constet nomen *dei* in sacris literis etiam creaturis attribui, quod Sandius probavit in Ioh. X. 24. Inprimis verò hîc notanda verba Bren-

Brentii, qui, poſtquam principes etiam & magiſtratus deos eſſe aſſeruit, addit: *Deinde ſi primam creationem hominis conſideraveris, non magiſtratus tantùm, ſed etiam quivis homo dicendus eſſet Deus. Initiò enim cum verus & æternus Deus conſtitueret hominem creare, dixit:* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Ac poſtquam creâſſet eum, dicit ſcriptura:* Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Imago autem & ſimilitudo Dei, annon poteſt ſuo quodam modo dici Deus? Cum igitur homo ſit creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, manifeſtum eſt, quòd homo dicendus ſit Deus, non quidem quod ſit naturâ Deus ab æterno, ſed quòd ſit à vero Deo factus & creatus Deus.* &c. Probandum itaque eſt ex S. Scriptura Chriſtum eſſe ſupremum Deum, Patri coæqualem.

XXXVII. Ioh. I. 15, 30. *Ante me factus eſt, quia prior me erat.* Hunc locum contra Socinianos enervant Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Eraſmus, Antonius Broickwy à Koninckſteyn obſervantiæ regularis Noviomagenſis Gardianus, Nicolaus Zegerus Minorita, Calvinus, Philippus Melanchthon, Beza, Bucerus, Gualtherus: quando exponunt non de prioritate temporis, ſed de excellentiâ Chriſti majore. Contra Origenes to. 1 in Ioh. τὸ ἔμπροσθεν & πρῶτος de præexiſtentiâ divinæ Chriſti naturæ exponit. Non dubium equidem mihi eſt,

quin Origenis expoſitio ſanior ſit, ne tamen Sociniani nobis objiciant tantorum virorum authoritatem, eſto hic locus dubius & invalidus, cum nullâ laboremus penuriâ teſtimoniorum Scripturæ contra Socinianos. Hâc occaſione etiam moneo lectorem, ne putet me arbitrari omnia, quæ hîc produco loca, reipſa infirma eſſe; ſed ideo iis contra Arianum vel Socinianum uti nolo, quia ipſe eorum vim autoritate noſtrarium eludere poſſet.

XXXVIII. Ioh. I. 18. *qui eſt in ſinu Patris.* Sunt qui ex hoc loco conſubſtantialitatem Filii cum Patre probant; ſed vidit Calvinus vanitatem hujus argumenti.

XXXIX. Ioh. I. 49, 50. *Dicit ei Nathanaël: Vnde me nôſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: priusquam te Philippus vocaret, quum eſſes ſub ficu, videbam te. Reſpondit Nathanaël, & dixit ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Iſraël.* Excellentiſſimus Dominus D. Scherzerus in Coll. Anti-Socin. diſp. 17 ita ratiocinatur & argumentatur:

Chriſtus patravit miracula.

At ſolus Deus miracula patrat Pſ. LXXII. 18. CXXXVI. 4.

E. Chriſtus eſt ſolus Deus.

Eodem modo argumentatur de Spir. S. Diſp. 21. Ant. Cath. II. ב. (γ.) Verùm rectius ſcribit Ioannes Brentius noſtras. *Sed tantine eſt hoc miraculum momenti, quod Ieſus viderit Nathanaëlem procul ſub ficu, tanquam præſentem, ut*

ex

ex ipso probetur Iesum esse filium Dei, & regem Israëlis? Annon & Elizæus absens vidit servum suum Gehazi currentem post Naamanum Syrum, & accipientem ab eo munera, mendacio postulata? Cur igitur Israëlitæ non prociderunt ad genua Elizæi, & dixerunt: Tu es filius Dei, tu es Rex Israëlis? *quod si abominabile fuisset, multo rectius videtur fecisse mulier Samaritana: quæ cum intellexisset, Iesum arcanorum suorum peccatorum conscium esse,* (*audierat enim à Iesu:* Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir) *non statim confitetur eum esse Messiam & filium Dei, sed tantùm Prophetam:* Domine, *inquiens*, video quod sis propheta. ——— *Miracula enim per se non probant, quod persona quæ edit miracula, sit Deus ipse: sed probant, quod vocatio & doctrina personæ sit à Deo ipso.* Adi quoque locum XLVIII. & LII. C. Bergius in epist. ad M. Ruarum ulterius progrediens ait: *Ne miracula quidem olim causa erant, ut Christi & Apostolorum dogmata divina essent, sed Scripturæ quas allegabant.*

XL. Ioh. VI. 27. *Hunc enim Pater signavit.* Calvinus: *Perperam hunc locum veteres ad divinam Christi essentiam torserunt, quasi signatus dicatur, quia character est & expressa imago Patris: neque enim hic de æterna suâ essentia subtiliter disserit: sed quid sibi mandatum sit & injunctum, quid habeat erga nos officii, & quid petere à se & sperare debeamus.*

[illegible] homini-
[illegible] est à Deo. Ma-
[illegible] Nisi qui est à Deo,
[illegible] intelligunt, atque qui est
[illegible] sui, qui ex
[illegible] consubstantialis est, le-
[illegible] est si qui
[illegible] Nisi is qui est à
[illegible] id est, ex Deo:
[illegible] ut intelligamus
[illegible] quasi à Patre ge-
[illegible] descendit, cujus
[illegible] verum, ut con-
[illegible] audi-
[illegible] auditores,
[illegible] inter
[illegible] Deo, & Esse ex
[illegible] infra cap.
[illegible] Qui ex Deo est,
[illegible] non auditis,
[illegible] — Deo autem
[illegible]

[illegible] ipso sum
[illegible] Nonnulli
[illegible], ut prius ad
[illegible] alterum
[illegible], cujus obe-
[illegible] humanam
[illegible] audies, ne-
[illegible] Chri-
[illegible] Christi exortam
[illegible] Arianus hæc
æter-

æternæ ejus divinitatis non satis firma esset probatio.

XLIV. Ioh. VIII. 24. *Nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Calvinus: *Quidam ex veteribus perperam hoc ad divinam Christi essentiam traxerunt, atque cum illâ conjunxerunt, quod apud Mosen habetur,* Ego sum qui sum. *Exodi III. v.* 14. *quum de officio suo erga nos disseruerat.*

XLV. Ioh. VIII. 25. *A principio, quia & loquor vobis.* Calvinus: *Longe falluntur, qui principium nominandi casu accipiunt, ac si æternam suam divinitatem Christus hîc assereret. Græcè nulla talis ambiguitas esse potest.*

XLVI. Ioh. VIII. 28. *Quod ego sum.* Calvinus: *Iam admonui non ad divinam Christi essentiam hoc referri, sed ad officium duntaxat: quod etiam ex contextu melius patet, ubi negat se facere quicquam nisi ex Patris mandato. Nam hoc perinde valet, ac si diceret, se divinitus esse missum, & fideliter partibus suis fungi.*

XLVII. Ioh. VIII. 42. *Ego ex Deo processi & veni.* Arias Montanus h. l. *Non loquitur hic Iesus de nativitate divina; sive generatione passivâ sui ipsius.*——*Sed* ex Deo processi, *idem significat, quod missus & profectus sum.* Calvinus: *Christus non de suâ essentia, ut quidam opinantur, sed de officio suo disserit.*

XLVIII. Ioh. X. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Vnde quidam ita argumentantur:

XXXIII. Matth. XIX. 17. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Calvinus h. l. *Hanc correctionem multi interpretum sic accipiunt, ac si suam Deitatem insinuet Christus: tantundem enim valere putant hæc verba ac si dixisset: Si in me nihil altius agnoscis naturâ humana, falsò elogium boni, quod convenit soli Deo, in me transfers. Sed simplicius hæc sunt accipienda. Fatemur quidem homines propriè loquendo, minimè tam honorifico titulo dignos esse, ac ne angelos quidem, quia nec bonitatis guttam à se habent, sed à Deo mutuantur: deinde quia in illis tantum inchoata est bonitas, non perfecta. Sed Christi non aliud consilium fuit, quam fidem suæ doctrinæ asserere, ac si dixisset: Tu me falsò vocas bonum magistrum, nisi à Deo profectum agnoscis. Ergò non hic asseritur Deitatis essentia; sed ad fidem doctrinæ habendam deducitur juvenis.——Christus ut doctrinæ suæ authoritatem conciliet, juvenem ad Deum revocat.*

XXXIV. Ioh. I. 1. IN PRINCIPIO *erat Verbum.* Quidam per principium æternitatem absolutam, quæ caret principio & fine, intelligunt, verùm Maldonatus aït, nomen principii pro æternitate vix positum inveniri: unde ipse ac cum eo Beza per principium h. l. idem principium intelligunt, quod in initio Genesis legitur. Rudolphus Gualterus h. l. *Plerique*, ait, *nostrùm* æternitatem *denotari putant, & ex illa argumentum deduci ajunt, quo Christi divinitas*

pro-

probetur. Quod etsi verum sit, non tamen sequitur, quod Principii *vox per* æternitatem *exponi debeat. Neque aliqua solida ratio apparet, ob quam voce usus sit Apostolus, quæ* æternitati *nequaquam convenit. Cum enim æternum dicatur, quod principio & fine caret, quomodo, quod* æternum *est,* principii *nomine declarari potest? Et frustra hæreticis objiciuntur argumenta, quæ scripturis sensum dubium aut saltem obscurum obtrudant, eo quod ex iis illi novam rixandi occasionem arripiunt.* Consentit Calvinus: & Hugo Grotius h. l. ἐν ἀρχῇ, inquit, est *cùm primum rerum universitas cœpit creari.*

XXXV. Ioh. I. 1. *In principio* ERAT *Verbum.* Calvinus: *Qui ex tempore verbi imperfecto colligunt perpetuum statum, non satis firma ratione nituntur. Verbum* Erat, *inquiunt, continuam seriem magis exprimit, quam si dixisset Iohannes* Fuit. *Sed in tantis rebus magis solidè argumentandum est.*

XXXVI. Ioh. I. 1. *Et Deus erat Verbum.* Erasmum memini allegatum legisse in hæc verba: *Si hic in hoc capite filius Dei Iesus Christus ita apertè & dilucidè dictus sit Deus, ut nulla superesset ambiguitas, & quid opus fuisset tot argumenta è diversis locis conglobare (illis scilicet antiquis scriptoribus) quibus veritate destituti & manifesto verbo Dei conabantur Arianos obruere. Et quod sciam Irenæus antiquus scriptor nullibi Verbum Deum vocat, sed Verbum Dei, ut lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 20, 21.*

 sæ-

sæpißime repetens & lib. 4. cap. 51. & lib. 5. fol. 316. & 333. præterquam uno in loco, si codex mendo caret. At ubi id scripserit Erasmus ignoro, nec verisimile est eum ita scripsisse: sunt enim hæc indigna Erasmo tanto viro, qui in Philipp. II. 6. scribit, *Ariani non negabant filium Dei esse deum, imò & magnum deum fatebantur, & benedictum super omnia deum.* Adeo ut & Eusebius Arianus contra Marcellum Nicænæ fidei propugnatorem, judicio Iulii PP. Conciliique Sardicensis & aliorum catholicum, urserit h. l. legi, *Deus erat Verbum*, non *Dei erat Verbum*: ita enim scribit de Eccles. Theol. II. 12. Et Deus *dixit* erat Verbum: *non* & Dei erat Verbum. *Ne nos existimaremus, Verbum illud Dei operationis significativum aut effectivum esse.* cap. 17. *Vel dicere debuerat*, & Dei erat Verbum: *vel*, ille Deus erat Verbum, *adjecto nempe articulo, si cum Marcelli sententia scriptura conspirasset. At nunc & ipsum Verbum Deum esse insinuat.* lib. 3. cap. 2. *Unde addit*, & Deus erat Verbum, *non dicens*, & Dei erat Verbum. Ideo autem hunc locum, ut & alios similes, ubi Filius Deus sine articulo dicitur, invalidos dico, quod Ariani & Sociniani non negant Christum esse deum (in græco dictum sine articulo,) magnum deum & verum deum; cum constet nomen *dei* in sacris literis etiam creaturis attribui, quod Sandius probavit in Ioh. X. 24. Inprimis verò hîc notanda verba

Bren-

Brentii, qui, poſtquam principes etiam & magiſtratus deos eſſe aſſeruit, addit: *Deinde ſi primam creationem hominis conſideraveris, non magiſtratus tantùm, ſed etiam quivis homo dicendus eſſet Deus. Initiò enim cum verus & æternus Deus conſtitueret hominem creare, dixit:* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Ac poſtquam creâſſet eum, dicit ſcriptura:* Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Imago autem & ſimilitudo Dei, annon poteſt ſuo quodam modo dici Deus? Cum igitur homo ſit creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, manifeſtum eſt, quòd homo dicendus ſit Deus, non quidem quod ſit naturâ Deus ab æterno, ſed quòd ſit à vero Deo factus & creatus Deus.* &c. Probandum itaque eſt ex S. Scriptura Chriſtum eſſe ſupremum Deum, Patri coæqualem.

XXXVII. Ioh. I. 15, 30. *Ante me factus eſt, quia prior me erat.* Hunc locum contra Socinianos enervant Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Eraſmus, Antonius Broickwy à Koninckſteyn obſervantiæ regularis Noviomagenſis Gardianus, Nicolaus Zegerus Minorita, Calvinus, Philippus Melanchthon, Beza, Bucerus, Gualtherus: quando exponunt non de prioritate temporis, ſed de excellentiâ Chriſti majore. Contra Origenes to. 1 in Ioh. τὸ ἔμπροσθεν & πρῶτος de præexiſtentiâ divinæ Chriſti naturæ exponit. Non dubium equidem mihi eſt,

quin Origenis expositio sanior sit, ne tamen Sociniani nobis objiciant tantorum virorum authoritatem, esto hic locus dubius & invalidus, cum nullâ laboremus penuriâ testimoniorum Scripturæ contra Socinianos. Hâc occasione etiam moneo lectorem, ne putet me arbitrari omnia, quæ hîc produco loca, reipsâ infirma esse; sed ideo iis contra Arianum vel Socinianum uti nolo, quia ipse eorum vim autoritate nostratium eludere posset.

XXXVIII. Ioh. I. 18. *qui est in sinu Patris.* Sunt qui ex hoc loco consubstantialitatem Filii cum Patre probant; sed vidit Calvinus vanitatem hujus argumenti.

XXXIX. Ioh. I. 49, 50. *Dicit ei Nathanaël: Vnde me nôsti? Respondit Iesus, & dixit ei: priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, videbam te. Respondit Nathanaël, & dixit ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël.* Excellentissimus Dominus D. Scherzerus in Coll. Anti-Socin. disp. 17 ita ratiocinatur & argumentatur:

Christus patravit miracula.
At solus Deus miracula patrat Ps. LXXII. 18. CXXXVI. 4.
E. Christus est solus Deus.

Eodem modo argumentatur de Spir. S. Disp. 21. Ant. Cath. II. ב. (γ.) Verùm rectius scribit Ioannes Brentius nostras. *Sed tantine est hoc miraculum momenti, quod Iesus viderit Nathanaëlem procul sub ficu, tanquam præsentem, ut*

ex ipso probetur Iesum esse filium Dei, & regem Israëlis? Annon & Elizæus absens vidit servum suum Gehazi currentem post Naamanum Syrum, & accipientem ab eo munera, mendacio postulata? Cur igitur Israëlitæ non prociderunt ad genua Elizæi, & dixerunt: Tu es filius Dei, tu es Rex Israëlis? *quod si abominabile fuisset, multo rectius videtur fecisse mulier Samaritana: quæ cum intellexisset, Iesum arcanorum suorum peccatorum conscium esse, (audierat enim à Iesu:* Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir) *non statim confitetur eum esse Messiam & filium Dei, sed tantùm Prophetam:* Domine, *inquiens*, video quod sis propheta. ——— *Miracula enim per se non probant, quod persona quæ edit miracula, sit Deus ipse: sed probant, quod vocatio & doctrina personæ sit à Deo ipso.* Adi quoque locum XLVIII. & LII. C. Bergius in epist. ad M. Ruarum ulterius progrediens ait: *Ne miracula quidem olim causa erant, ut Christi & Apostolorum dogmata divina essent, sed Scripturæ quas allegabant.*

XL. Ioh. VI. 27: *Hunc enim Pater signavit.* Calvinus: *Perperam hunc locum veteres ad divinam Christi essentiam torserunt, quasi signatus dicatur, quia character est & expressa imago Patris: neque enim hic de æterna suâ essentia subtiliter disserit: sed quid sibi mandatum sit & injunctum, quid habeat erga nos officii, & quid petere à se & sperare debeamus.*

XLII. Ioh. VI. 46. *Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo.* Musculus, Dusanus: *Illud,* Nisi quis est à Deo, *plerique idem esse intelligunt, atque* qui est ex Deo: *quasi de divinitate suâ, quâ ex Patre natus, illique consubstantialis est, loquatur. Verum quoniam in græco est* εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, *id est,* Nisi *is qui est à Deo,* & *non* ἐκ τοῦ θεοῦ, *id est,* ex Deo: *videtur mihi simplicius esse, ut intelligamus hîc Dominum de eo loqui, quod à Patre cœlitus missus in hunc mundum descendit, cujus descensionis jam aliquoties meminit, ut conspicuum sit hanc ipsum studio quodam audientibus inculcare.——Admonuerim rudiores, ut animadvertant quid discriminis sit inter hasce loquutiones* Esse à Deo, & Esse ex Deo. *Ex Deo sunt & electi, sicút infra cap. VIII. legimus, cum dicit:* Qui ex Deo est, verba Dei audit: vos autem non auditis, quia ex Deo non estis,——*A Deo autem sunt, qui ab illo missi sunt.*

XLIII. Ioh. VII. 29. *Quia ab ipso sum & ipse me misit.* Calvinus h. l. *Nonnulli duo hæc membra sic distinguunt, ut prius ad divinam Christi essentiam referant: alterum ad munus illi à Patre injunctum, cujus obeundi gratiâ carnem, naturamque humanam induit: quod tametsi rejicere non audeo, nescio tamen an ita arguté loqui voluerit Christus. Fateor quidem cœlestem Christi exortum inde posse colligi: sed adversus Arianos hæc æter-*

æternæ ejus divinitatis non ſatis firma eſſet probatio.

XLIV. Ioh. VIII. 24. *Niſi credideritis quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Calvinus: *Quidam ex veteribus perperam hoc ad divinam Chriſti eſſentiam traxerunt, atque cum illâ conjunxerunt, quod apud Moſen habetur,* Ego ſum qui ſum. *Exodi III. v.* 14. *quum de officio ſuo erga nos diſſeruerat.*

XLV. Ioh. VIII. 25. *A principio, quia & loquor vobis.* Calvinus: *Longe falluntur, qui principium nominandi caſu accipiunt, ac ſi æternam ſuam divinitatem Chriſtus hîc aſſereret. Græcè nulla talis ambiguitas eſſe poteſt.*

XLVI. Ioh. VIII. 28. *Quod ego ſum.* Calvinus: *Iam admonui non ad divinam Chriſti eſſentiam hoc referri, ſed ad officium duntaxat: quod etiam ex contextu melius patet, ubi negat ſe facere quicquam niſi ex Patris mandato. Nam hoc perinde valet, ac ſi diceret, ſe divinitus eſſe miſſum, & fideliter partibus ſuis fungi.*

XLVII. Ioh. VIII. 42. *Ego ex Deo proceßi & veni.* Arias Montanus h. l. *Non loquitur hic Ieſus de nativitate divina: ſive generatione paßivâ ſui ipſius.* ——— *Sed* ex Deo proceſſi, *idem ſignificat, quod mißus & profectus ſum.* Calvinus: *Chriſtus non de ſuâ eßentia, ut quidam opinantur, ſed de officio ſuo dißerit.*

XLVIII. Ioh. X. 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Vnde quidam ita argumentantur:

Quicunque cum Patre unum est, ille habet unicam numero cum eo essentiam.
Atqui Filius & Pater unum sunt.
Ergò Filius & Pater habent unicam numero essentiam.

Verùm hunc locum Erasmus de concordia caritatis exponit. Charronæus Verit. 3. cap. 2. *Disertißimus*, inquit, *scripturæ locus ad probandum τὸ ὁμοούσιον verisimilitudinem quandam obtinet, at sufficiens est minimè.* Masenius Iesuita Medit. Concord. parte 1. tract. 1. cap. 7. *Credimus*, ait, *Christum in substantia æqualem Patri, & nec majorem illo, nec minorem, ex eo quod Christus dicat:* Ego & Pater unum sumus: *& Philippo:* Qui videt me, videt & Patrem meum: *Ioann. XIV. 9, & tamen ibidem dicit:* Vado ad Patrem, quia Pater major me est. *&c.* Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio: 21. 31. *uter verò sensus fundamentalis sit, nulla scriptura disertè definit.* Concl. tract. 2. cap. 1. *Scriptura etiam nonnullis locis videretur suadere oppositum, nisi ecclesia nos aliter docuisset. Nam si Christus dicit:* Pater major me est, *sine exceptione: cur non sequatur: ergò Christus est Patre minor? si dicit:* Ego & Pater unum sumus: *cur non æquè in persona quàm natura, aut cur non potius in charitate & affectu, quàm natura; cum alibi precetur*, ut nos unum simus cum ipso, sicut ipse unum erat cum Patre? *Probent infallibilem, quæ hæc destruat,*

illa

illa adstruat, consequentiam, quam ratiocinio pari adversarii nequeant elidere. Valerianus Magnus Capucinus in Iudicio suo de Acatholicorum & Catholicorum credendi regula contra Anonymum, cap. 5. *Argumentanti consubstantialitatem Patris cum Filio ex hoc textu:* Ego & Pater unum sumus: *non est necessarium respondere aut docere, quòd textus ille non innuat consubstantialitatem Patris cum Filio; sed sufficit negasse, quòd textus ille sit necessariò, incommutabiliter seu evidenter intelligendus de unitate substantiæ. Nam sit hoc probabile; stat cum hac probabilitate, quòd idem ille textus possit v. g. intelligi de unitate voluntatis per amorem, qui intercedit Patrem & Filium, ac proinde non potest inferri ex hoc textu necessariò, sed duntaxat probabiliter consubstantialitas Patris cum Filio. Fides verò Christiana dicit assensum non probabilem cum formidine oppositi, sed certum & consequenter nulli dubitationi obnoxium.* Cornæus Jesuita in libro, cui titulum fecit Κέρας ἀμαλθίας: *Ad Arianum,* inquit, *si fiat progressus, audiet ille Scripturam,* Baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, *Matth.* 28. *sed dicet: illic minimè dici, hosce tres esse ὁμουσίους & consubstantiales. Instabit Dorscheus ex Ioh.* 10. Ego & Pater unum sumus, *hoc Syllogismo: Qui unum sunt, sunt ὁμούσιοι & consubstantiales. Atqui Pater & Filius unum sunt. Ergò.*

At prona est Ariano distinctio, qui eundem syllogismum hoc modo, ex sensu suo, reponet. Qui unum sunt natura, sunt ὁμούσιοι. Atqui Pater & Filius unum non sunt natura, sed voluntatis tantum concordia & consensu. Neque sinet se Arianus ab illa mente & Scripturæ interpretatione, licet prava, dimoveri. Trahet hinc sensum scripturæ Dorscheus, trahet inde pro se Arianus. Quis ergò finis controversiæ? Nimirum iste. Ite domum saturæ, venit hesperus, ite capellæ. *Stabitque iterum Dorscheus cum suo cornu, ut butyrum in Sole solet. Atque hæc res jubare meridiano clarior à nemine ignorari aut abnui potest, nisi forte cum Dorscheo grande κέρας ἀμαθείας in fronte pertusa gestitet.* At quæsò amici, ne omnem frustra effundite bilem; ensem in vaginam recondite. Amici sumus, idemque vobiscum sentimus. Annon legistis Casparum Crucigerum h. l. largiri, *se contra Arianos hoc loco nihil probare?* Calvinus h. l. *Abusi,* inquit, *sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum Patri ὁμοούσιον. Neque enim Christus de unitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet, quicquid scil. geritur à Christo, Patris virtute confirmatum iri.* Similiter Marloratus & Musculus. Beza de h. l. *Neque, ait, in hoc loco imaginanda est substantiarum commixtio, confusio, aut naturalis etiam aliquis conjunctionis modus.* Epicopius Resp. ad 23. quæst. *Deitas Filii Dei*

cum

cum Patre & Spiritu sancto non satis adstruitur ex loco Ioan. X. 30. quia in eo non agitur de unitate essentiæ Filii numerica cum Patre; sed de concordia & consensu voluntatis utriusque, uti rectè in locum istum annotavit Calvinus. Idem scribit H. Nicolai.

XLIX. Ioh. X. 37. *Si non facio opera Patris mei.* Io. Brentius: *Cum Christus citat miracula sua in testimonium suæ divinitatis, non sentit miracula testificari simpliciter & per se divinitatem ejus personæ, à qua eduntur. Etsi enim vera miracula non possunt edi nisi divina potentia, tamen Deus hoc donum conferre solet etiam in eos, qui non sunt nisi homines. Quare miracula per se non probant eum hominem, à quo eduntur, esse naturâ Deum, sed probant vocationem & doctrinam ejus esse veram ac divinam. Vnde & Christus disertè ait:* Si mihi non creditis, operibus credite: *hoc est, si quæ doceo, simpliciter absque miraculis affirmarem, possent fortaßis vana somnia videri. Nunc autem addo opera, addo miracula. Quare miracula debent vos excitare, ut verbis doctrinæ meæ fidem adhibeatis,* &c.——*Ediderunt etiam apostoli multa ac magna miracula, & aliquo modo majora, quam Christus edidit. Quid ergò? Num hæc miracula testificantur Apostolos eße in Patre, & Patrem in Apostolis, hoc est, Apostolos eße naturâ deos. Nihil minus: sed testificantur veritatem doctrinæ eorum.* Vide etiam loc. XXXIX. & LII.

XLIX. Ioh. X. 38. *Pater in me & ego in ipso:* Calvinus: *Neque enim hic,* ait, *de essentiæ unitate sermo habetur, sed de manifestatione potentiæ in Christi persona, unde constabat divinitus missum esse.*

L. Ioh. XIV. 9. *Qui vidit me, vidit & Patrem meum.* Augustinus Marloratus ait *non disseri ibi de divina Christi essentia & natura.* Idem cum eo sentit Philippus Melanchthon.

LI. Ioh. XIV. 10. *Non credis quod ego in Patre & Pater in me est.* Calvinus apud Marloratum: *Quidam ad divinam Christi essentiam verba hæc referunt; sed rectius ad modum revelationis refertur.——Quia non simpliciter disputat Christus quis sit in se, sed qualis debeat cognosci à nobis, virtutis potius quàm essentiæ elogium est.——Nemo enim Patrem cognoscit, nisi per Filium, & nemo cognoscit Deum, nisi per Verbum.* Bucerus in hæc verba: *Hoc est ego à patre totus pendeo, & ille in me agit omnia.* Eodem modo resp. ad vers. 20. *in illo die vos cognoscetis me esse in patre meo, & vos in me, & me in vobis:* ex quo reciprocam περιχώρησιν Filii in Patre probat Scherzerus disp. 17 Coll. Anti-Socin.

LII. Ioh. XIV. 10. *Pater, qui in me habitat, ipse facit opera ea.* Ioan. Brentius: *Quæ,* inquit, *sunt verè divina miracula, ea non in hunc usum eduntur, ut per se probent divinitatem ejus personæ, quæ edit mira-*

racula, sed ut commendent doctrinam ejus, non ut novam doctrinam, adversus Verbum Dei antea probatum, instituant, sed ut veterem doctrinam verbi Dei renovent, restituant, conservent, ac impleri testificentur.—— Et si autem Christus est verus ab æterno Deus, tamen hæc miracula non testificabantur per se, per se, inquam, divinitatem ejus, sed testificabantur doctrinam ejus. Rationem addit, quia & Moses & Prophetæ alii, & Apostoli fecerint miracula miraculis etiam ipsius Christi majora, juxta ejusdem promissum, apud Ioann. XIV. 12. Conf. quoque loc. XXXIX, & XLVIII.

LIII. Ioh. XVII. 10. *Ut sint unum sicut & nos*, & vers. 21. & 26. *ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Calvinus h. l. *Cæterum tenendum est, quoties unum se cum Patre esse in hoc capite pronunciat Christus, sermonem non haberi simpliciter de divina ejus essentia, ut multi ex Patribus interpretati sunt, sed unum vocari in persona Mediatoris, & quatenus caput nostrum est. Siquidem præcisè multi ex Patribus interpretati sunt, Christum unum esse cum Patre, quia æternus sit Deus; sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, ut concisas sententias in alienum sensum torquerent. Longè autem aliud Christi consilium fuit, quam ad nudam arcanæ suæ divinitatis speculationem nos evehere*, &c.

LIV. Actor. XX, 28. *Ecclesiam Dei, quam pro-*

proprio ſanguine acquiſivit. Eraſmus apolog. ad Sanctium Carranzam: *& quid,* ait, *quæſo periculi ſit, cùm Pater Paulo dictus ſit Servator ac Redemptor, quod per Filium nos redemit, ſi ſanguinem à Filio fuſum in arâ crucis ſuum appellet, quòd eum tradiderit pro nobis in mortem?* & iterum: *Non igitur uſque adeò ſit abſurdum, ſi Pater victimam illam, quam ipſe ſubjecit, illud pretium quo redemit per filium genus humanum, ſuum pretium, aut ſuam hoſtiam, aut ſuum ſanguinem appellet.* Idem in paraphraſi: *quam,* inquit, *Deus adeò charam habuerit, ut unigeniti ſui ſanguine eam paraverit.* Al. pro *Dei* legitur *Chriſti* vel *Domini*: ita MS Alexandrinum Theclæ. Junius & Tremellius cum Syro verterunt *Domini. Domini* quoque legit Armenus, in Codicibus tam MSSis, quàm impreſſis, ut Sandium docuit epiſcopus Armenorum, cùm Amſtelodami degeret. Grotius tradit quoque vetus MS. quò ipſe uſus eſt, legere *Domini,* putatque fieri potuiſſe, ut θῦ poſitum fuerit pro χῦ.

LVI. Rom. IX. 5. *Quorum Patres, ex quibus Chriſtus quoad carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.* Eraſmus h. l. ait etiam ita diſtingui poſſe hunc locum: *Quorum Patres ex quibus Chriſtus quoad carnem eſt, qui eſt ſuper omnes. Deus* ſit *benedictus in ſecula. Amen.* vel ita: *Quorum Patres ex quibus Chriſtus quoad carnem. Qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus in ſecula Amen.* Et

ſic

ſic diſtinguunt Chryſoſtomus & Theophylactus Comm. in epiſt. ad Rom. qui ſub nomine Athanaſii impreſſus eſt Argent. 1522. ita legit: *Quorum Patres ex quibus Chriſtus. Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen.* Certum quidem eſt antiquiſſimos codices ſine diſtinctionibus fuiſſe exaratos, literiſque ubique æqualibus. Diſtinctiones porrò iſtas requirere videtur vox *Amen*, quæ optativo vel ſubjunctivo potiùs, quàm indicativo ſubnecti debet & ſolet. Si objicias Matth. VI. 13. & Rom. I. 25. Reſpondeo ad iſtud, 1. verba illa meritò non leguntur in plurimis græcis cōdicibus. 2. etſi legerentur, τὸ *Amen* tamen dici poteſt referri ad totam Orationem dominicam per imperativos expreſſam. Ad hoc reſp. Euſebium de Præp. Euang. lib. 3. in fine cap. 13. τὸ *Amen* in allegatione hujus loci præterire. Nec unquam aliàs modo indicativo vel definitivo, ſive expreſſo, ſive implicito, ſubnexa legitur; ſed vel tricies optativo aut expreſſo aut implicito ſubjungitur. Præterea vox *Dei* omiſſa eſt in Syriaca verſione, & in allegationibus Cypriani, contra Jud. II. 5. al. 6. in edit. Baſil. Hilarii in Pſalm. CXXII. Chryſoſtomi h. l. (qui, judice Eraſmo, nullam dat ſignificationem ſe h. l. legiſſe *Deus*) *qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum:* ſine voce *Dei* legit Chryſoſtomus vel Chromatius de conſecr. di. 4. Non poteſt. item Petrus Abaëlardus in h. l. Grotius ait, fieri potuiſſe, ut ea vox addita fuerit textui.

Era-

Erasmus suspicatur ejus additionis autorem Hieronymum, quasi de ὁ fecerit θεὸς: Vide Erasmum h. l. & resp. ad Sanct. Carranzam à Miranda, loc. 5.

LVI. Coloss. I. 15. *Qui est imago Dei invisibilis.* Reformati, interque eos Matthæus Larroque in Historiâ Eucharistiæ, testimoniis ex Patribus collectis fusè probant corpus Christi in Eucharistiâ non esse idem quod in cruce pependit: quia corpus in Sacramento dicitur imago: probant verò ex Patribus imaginem non esse ipsam rem, cujus est imago. Et id quidem vellem tacuissent, quia eo ipso confirmant blasphemiam Arianorum, & inter alios Eusebii, qui allegante Marcello apud Eusebium contra eundem lib. I. cap. 4. scripsit: *Nunquam usquam imago rei, & cujus est imago, unum idemque sunt, sed essentiæ duæ, res duæ, potestates duæ sunt, quæ totidem nominibus discriminantur.* Non aliter Tertullianus libro de præscription. *In omnibus*, inquit, *veritas imaginem præcedit.* Incautè quoque Procopius Gazæus Sophista in 1. cap. Genes. *Necesse est* (ait) *ut imago ejus cujus imago est, quandam imitationem & similitudinem apportet, quamvis plurimùm absit ab substantia ejus, cujus imago censetur.* Philippus Melanchthon agens de nomine Filii *Imago*, dicit: *Scimus aliud imaginem, aliud archetypum*

chetypum esse. Sed quicquid hac de sententiâ sit, illud certum est, ex hoc loco contra Arianos consubstantialitatem Filii non posse probari, ut rectè scribat Calvinus: *Scio qualiter veteres exponere soleant. Quia enim certamen habebant cum Arianis, æqualitatem Filii Dei cum Patre & ὁμοούσιαν urgent: interea tacent quod est præcipuum, quomodo Pater in Christo se nobis cognoscendum exhibeat. Quod in vocabulo imaginis totum suum præsidium constituit Chrysostomus, dum contendit, creaturam non posse dici creatoris imaginem, nimis infirmum est. Imò à Paulo refellitur, cujus verba sunt,* Vir est imago & gloria Dei. *Nequid ergò habeamus nisi solidum, notandum est nomen imaginis non prædicari de essentiâ, sed habere ad nos relationem. Ideo enim imago Dei Christus, quia Deum quodammodo nobis facit visibilem.*

LVII. Philipp. II. 6. *Qui cum in formâ Dei esset.* Jacobus Heerbrandus Theolog. Tubingensis in Compend. Theolog. *Patres quidem,* inquit, *hoc loco usi sunt ad probandam Christi divinitatem, idque suo judicio.* ——— *Forma enim Dei non est ipse Deus.* Ægidius Hunnius h. l. *Multo minus est esse in forma Dei constitutum, quàm esse Deum ipsum.* Anonymus Anglus lib. A letter of resolution concerning Origen, and the chief of his opinions, ita scribit: *ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, is as much*

as

as if he had ſaid θεόμορφος, *or, after the more Attick purity,* θεοειδὴς, *or* θεοείκελος ὢν, *or* ὑπάρχων: *even as St. Mark, in the ſtory of the Woman which had the iſſue of bloud, ſays after the Iewish way,* οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος, *but St. Matthew more elegantly* αἱμοῤῥοοῦσα. *St. Iohn after the Seventy,* διδακτοὶ θεοῦ, *but St. Paul:* θεοδίδακτοι *a very uſual Hebraiſme in theſe holy Writers.* Calvinus per *formam* intelligit *figuram* ſeu *apparentiam.*

LVIII. Philipp. II.6. *Non rapinam duxit eſſe æqualem Deo.* Eraſmus h. l. *Quid magni tribuit Paulus Chriſto, ſi cum Deus eſſet natura, intellexit id non eſſe rapinæ, hoc eſt, novit ſeipſum? Illud autem compertum eſt, nuſquam majorem vim fieri ſcripturis ſacris, quam ubi cum hæreticis agentes, nihil non detorquemus ad victoriam. Tametſi non video, quid hic locus propriè faciat adverſus Arianos, qui non negabant Dei Filium eſſe Deum, imo & magnum Deum fatebantur, & benedictum ſuper omnia Deum, ſed arbitrabantur Patrem aliquo modo peculiari dici Deum, quo Filius aut Spiritus S. non diceretur.* —— *Quod hic ait, Non arbitratus eſt rapinam, Ambroſius velut explicans, dicit, Non ſibi defendit æqualitatem, hoc eſt non arrogavit ſibi, quò nobis exemplum oſtenderet humilitatis, ſed ſubjecit ſe, ut exaltaretur à Patre. Siquidem ad exemplum Paulus huc produxit Chriſtum ſponte humiliatum, & Patris autori-*

ritate exaltatum. Paſor lex. N. T. hanc phraſin exponit: *Non rapuit ſibi æqualitatem cum Deo.* Non aliter Lutherus lib. de dupl. juſtit. *Iſta autoritas negativè debet intelligi, quam multi affirmativè acceperunt, ſcilicet, quod Chriſtus non arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, id eſt, noluit eſſe æqualis, ut fit per eos, qui id rapiunt per ſuperbiam, qui dicunt Deo, ſi non dederis,* (*ut ait B. Bernhardus*) *mihi gloriam tuam, ipſemet mihi uſurpabo. Non autem affirmativè ſic: Non arbitratus eſt rapinam, ſe eſſe æqualem Deo, id eſt, quod eſſet æqualis Deo, id non putavit rapinam. Hæc enim ſententia non habet aptam intelligentiam.* Similiter alibi.

LIX. 1. Tim. III. 16. *Deus* (θεὸς) *manifeſtatus eſt in carne.* At vetuſtiſſimi Codices græci pro θεὸς legunt ὃ: ſic & Vulgata, Syrus, Æthiops, Armenus (ut Sandius didicit ex epiſcopo Armenorum) tam in excuſis, quam MSSis codicibus. Grotius idem tradit de verſione Arabica, & forte Codicem talem MS. vidit. Legit quoque ita Germanica Tigurina verſio edita in 12°. Legunt quoque ſic plerique Patres latini: ut Ambroſius & Hieronymus. Hilarius lib. 2. de Trinit. ſcribit: *Nemo igitur magnæ pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum in carne eſt, ſenſu impio violet.* Eraſmo h. l. *ſubolet Deum additum fuiſſe adverſus hæreticos Arianos.* Veriſſimè id quidem. Nam Macedonium II, epiſcopum Conſtantinopolitanum

ab

ab Anastasio Imp. Ariano in exilium pulsum fuisse, eo quod falsârat locum 1 Tim. III. 16. immutando ὃ vel ὃς in θς, sufficientissimè probavit Sandius Nucleo Histor. Eccles. lib 3. sec. 6. ad a. 512. Sed non video quî id Erasmo subolere potuerit, quando ipse in Philipp. II. 6. rectissimè scribit, *Arianos non negasse filium Dei esse Deum, & magnum Deum fassos, & benedictum super omnia Deum.* Porrò eodem, quo dixi modo, legit Macarius Hierosolym. contra Phædon. Philos. & Theodoretus h. l. Unde apparet Codicem MS. Alexandrinum non esse tantæ, ut fertur, vetustatis, neque Chrysostomum esse autorem eorum, quæ sub ipsius nomine leguntur, operum, inprimis quòd ipse aliter locum hunc in Armenicam linguam transtulit.

LX. Tit. II. 13. *Magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Erasmus h. l. *Id ita legi potest, ut utrumque pertineat ad Christum, Dei & Servatoris, aut prius pertineat ad Patrem, posterius ad Christum. Chrysostomus & Theophylactus utrumque attribuunt Christo, & item Hieronymus, exultantes adversus Arianos, ceu victores, cùm sermo planè sit anceps; immò magis pro illis facere videatur, quàm pro nobis. Primùm negari non potest, quin sermo græcus sit ambiguus, & ex æquo pertinens, ad sensum utrumlibet. Quid autem agas adversus hæreticum ex loco prorsus ancipiti? Quodsi illos urgeas interpretum consensu, certè Ambrosius, vir summus, & episcopus orthodoxus,*

doxus, divisim accipit, ut magni Dei referatur ad Patrem, Servatoris ad Christum. Ipsius verba subscribam: &c. Tum apparebit majestas nostra, cùm aperiatur gloria magni Dei, & Servatoris nostri Iesu. —— Miror quid secutus Scholiastes ille; magnum Deum interpretatur Spiritum sanctum. Fortasse locum captabat, in quo Spiritus sanctus manifestè diceretur Deus, Nam quod Thomas apparitionem gratiæ tribuit Spiritui sancto, cui peculiariter adscribitur opificium conceptionis Christi, non arbitror ad hunc locum posse torqueri. Calvinus, *Dubium est*, inquit; *conjunctimne hæc sint legenda, an verò de Patre & Filio disjunctim*, &c. Quomodocunque verò legatur, Ariano perinde est, qui non negat *Filium esse magnum Deum*, ut vidimus scribere Erasmum in duobus locis antecedentibus. Et revera Autor Arianus Operis Imperfecti scribit: *Filius magnus Deus quidem, non tamen primus*; & Maximinus episcopus Arianorum l. 1. contra Augustin. *Est & Filius* (ait) *secundùm Apostolum non pusillus, sed magnus Deus.*

LXI. 1 Joh. V. 20. *Sumus in vero illo, in Filio ejus Iesu Christo: hic est verus Deus.* Erasmus & Calvinus more scripturæ usitatissimo τὸ *in filio* interpretantur *per filium.* Et Erasmus h. l. τὸ *hîc* ad Deum Patrem refert: & ita locum hunc accipi posse scribunt Grotius magnus & Episcopius. Forte & idem sensit Epiphanius, quando hær. 69. scribit *in sacris literis Filium non dici verum Deum*, vel

non agnovit hic vocem *Dei*, cum Hieronymo in Esai. 65. Leone PP. & Hilario (citante Zegero) in allegatione loci hujus. Cæterum Smalcius & Jonas Slichtingius de Bukowiec Sociniani fatentur Christum esse verum Deum.

LXII. Apoc. I. 8. *Ego sum α & ω, principium & finis.* Hæc *principium & finis* al. desunt, ut in Hispaniensi. Erasmus in Ioh. VIII. locum, *Principium, qui & loquor vobis*, ita scribit. *Quod autem in Apocalypsi dicitur* Principium & finis, *constat intelligendum, Christum esse initium & consummationem ecclesiæ, quam priore adventu constituit, posteriore perficiet.*

LXIII. Apoc. I. 11. *Ego sum α & ω, primus ille & ultimus.* Docti consentiunt hæc esse supposititia, desiderantur que in codicibus græcis fide dignis.

LXIV. Apoc. XXI. 6. *Ego sum α & ω, principium & finis.* Vide locum LXII.

LXV. Apoc. XXII. 13. *Ego sum α & ω, principium & finis, primus & novißimus.* Vide locum LXII. Oecolampadius in Esai. XLI. 4. Ego Dominus primus, & cum novissimis ego ipse, *hoc est, sicut fui olim propitius Abrahæ, ita & posteritati ejus propitius ero, quæ sequitur illum in fide.* Calvinus in Esai. XLIV. 6. *His verbis non prædicat æternitatem Dei, sed eum perpetuò sibi similem eße ostendit, ut eum talem erga se futurum sperent, qualem antea experti sunt.* Conf.

Arias

Arias Montanus & Oecolampadius. Calvinus in Esai XLVIII. 12. Aph *continuationem significat hoc loco; nihil enim aliud docet, quàm Deum perpetuò sibi constare, nec variare more hominum, aut consilium mutare, propterea dicit se primum esse ac novissimum. Caeterum hic etiam notandum est, Isaiam non concionari de aeterna Dei essentia, sed hanc doctrinam ad usum nostrum accommodare,* &c. Arias Montanus in eundem fere sensum scribit. Et hæc de Filio. Spiritûs sancti autem deitatem quidam probant ex

LXVI. Genes. I. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Verùm Petrus Martyr h. l. scribit: *Patres putârunt hic esse Spiritus sancti habitam rationem, ut tres personae ad rerum creationem concurrerent, Pater, Verbum & Spiritus. Hoc maximè innituntur fundamento, quod additum sit* Domini: *quod satis, ut vera dicam, infirmum est.*

LXVII. Psalm. XXXII. al. XXXIII. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Cajetanus & Calvinus h. l. idem volunt esse *Spiritum* ac *Verbum Domini.* Esromus Rudingerus Theol. Witteb. in Psalm. Spiritu oris sui. *Antiquitas hoc de tertia persona, id est, de sancto Spiritu, consorte creationis rerum, interpretatur, aliquantò subtilius, sicut & Basilius, cùm per expolitionem, Spiritus oris videatur esse Verbum Dei.* Calvinus h. l. *Subtilius veteres hoc elogio usi sunt contra Sabellianos, ut aeter-*

nam Spiritûs Deitatem assererent. —— *Ego in probandâ Deitate Spiritûs, hoc testimonio Sabellium urgere non auderem.* Idem Instit. I. 13. *Sciens ac volens supersedeo à multis testimoniis quibus usi sunt veteres. Plausibile illis visum est citare ex Davide,* Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum, *ut probent non minus Spiritûs S. opus esse mundum, quàm Filii. Sed cum in Psalmis, usitatum sit bis idem repetere, & cum apud Esaïam Spiritus oris idem valeat, atque Sermo, infirma illa ratio fuit.* Vide & Martin. Bucer. in Ioh. I.

LXVIII. Ioh. IV. 24. *Deus est Spiritûs.* πνεῦμα ὁ θεὸς. Maldonatus h. l. *Illud certum, nomen Dei posteriore loco positum, esse subjectum, nomen verò spiritûs attributum: sensus enim est, Deus est spiritus.* Similiter Beza in h. l. & Ioh. de Raguſ. de commun. sub utr. prop. 5. Calvinus h. l. *Locus hic,* ait, *sæpè à Patribus citatur adversus Arianos, ad probandam spiritûs divinitatem; sed perperam eò torquetur: quia hîc simpliciter pronunciat Christus spiritualis naturæ esse Patrem suum, ideoque rebus frivolis non affici, quemadmodum pro suâ levitate homines solent: unde rectè Lutherus vertit,* Gott ist ein Geist: & versiones Belgicæ legunt: Godt is een Geest: & Angl. *God is a spirit.*

Hæc sunt argumenta ex S. literis petita, quæ Protestantium doctissimi quique ipsi infirma judicarunt ad probandam SS. Trinita-

nitatis coëssentialitatem, coæqualitatem, coæternitatem, Filii Spiritusque sancti supremam deitatem. Illis meo judicio duodecim alia testimonia addenda sunt, quæ ego arbitror à Protestantibus propterea tantum, quantum ego quidem scio, non esse enervata, vel quod ipsi putârunt loca ipsa per se suam debilitatem vel leviter perspicacibus prodere, vel quod ipsi nesciverunt, nec somniare potuerunt, quosdam adeò stupidos fuisse, ut ex iis mysterium S. Trinitatis, Deitatemque Filii probare voluerint. Horum locorum sex priora proferri solent in argumentum mysterii Trinitatis, sex posteriora in probationem supremæ Deitatis Filii, quæ nunc ordine proponere animus est.

LXIX. Genes. XI. 7. *Venite descendamus & confundamus ibi linguas eorum.* Hic volunt numerum pluralem indicare multitudinem personarum. Origenes hom. 11. Numer. dicit Deum *hæc ad Angelos dixisse.* Cum Origene consentiunt Judæi, Philo de confus. lingu. R. Mose lib. 2. c. 6. More Nebochim, R. Selomoh & Aben Ezra. Augustinus XVI. de C. D. c. 6. ait nihil prohibere locum hunc *de sanctis Angelis* intelligi, quibuscum Deus ad ea, quæ jubet exequenda, quodammodo descendit, cui Gregorius M. adstipulatur lib. 2 Moral. ad illa Jobi cap. 1. *Unde venis.* Lyra, *verba*, inquit, *ista in plurali posita sunt, verba* Dei

ad angelos, qui ſunt executores divinæ juſtitiæ. Eucherius lib. 2. in Geneſ. cap. 6. *Deſcenderunt angeli ejus ad turrim deſtruendam.* Emmanuel Sa, *Venite, angelis dictum.* Mercerus quoque hunc locum de angelis exponit, & addit: *Ex talibus præfractè adverſum Iudæos nolim Trinitatem colligere, quia Deus hominum & magnorum præſertim principum more loquens inducitur, interdum primâ plurali, etſi longè ſit alia Dei quàm hominum ratio, quum homines nihil per ſe, quantumvis magni, ſæpe poſſint, Deus autem per ſe omnia poſſit.*

LXX. Geneſ. XVIII. 6. *Feſtina tria ſata farinæ.* Quidam ex iſta farina Trinitatem neſcio an per diſtillationem, an per concoctionem ſeu digeſtionem, an verò ut ex ſilice ignem elicuerunt. Sed Hieronymus rectè de hac ſententia in Matth. XIII. to. 9. ſcribit: *Pius quidem ſenſus; ſed nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad autoritatem dogmatum proficere.*

LXXI. Deuter. VI. 4. *Audi Iſraël Dominus Deus tuus Deus unus eſt.* Ex hoc loco pluralitatem perſonarum & unitatem eſſentiæ probavit D. Scherzerus Colleg. Antiſoc. diſp. 8. Auguſtinus Steuchus Eugubinus epiſcopus Chiſamenſis in annot. ſuis, *Non eſt,* inquit, *hoc loco ſilentio prætereundum, quod Rabbi Moſes Ægyptius, primus Hebræorum ſcriptor carpit Chriſtianos, eosque longâ ſub- „ſannatione deridet.* Chriſtiani, *inquit*, col- „ligunt

„ligunt Trinitatem ex isto loco: primum „enim tres exprimuntur personæ, cum dicitur „*Dominus Deus Deus.* Ter enim ibi divinum „nomen repetitur: postea innuitur Trinitas „(*fortè* Vnitas,) cum dicitur *unus est*,„ *Productis autem his verbis multis probris in nos evehitur. Potuit quidem esse, ut aliquis insulsior è nostris, quorum plurimi reperiuntur, id Iudæo illi dixerit. Iam multi divinarum literarum imperiti ex his locis Trinitatem colligunt, ex quibus colligi non potest.*

LXXII. Iobi. XXVII. 2, 3. *Vivit Deus qui me præter meritum afflixit, & Omnipotens, qui amaritudine affecit animam meam, dum Spiritus in me erit, & Spiraculum Dei in naribus meis.* Ex hoc loco Trinitatem probat Autor sermonis de sancta & consubstantiali, vivificaque ac inseparabili Trinitate, quem inter opera Ioannis Hierosolymitani sub nomine Chrysostomi edidit Wastelius. Verùm Mercerus, *ex hoc*, ait, *versiculo quidam Trinitatem colligunt, ut Deus & Omnipotens, sit Pater & Filius, Spiritus & Spiraculum tertia persona. Sed simplex sensus est quem adduxi. Et passim Spiritus & Spiraculum pro synonymis reperiri videas, sicut & Deus & Omnipotens, pro eodem passim in hoc libro.*

LXXIII. Haggæi II. 5, 6. *Fortis sit Zerubabel dicit Dominus: sis & tu fortis Iehosua fili Iehozadak sacerdos magne, fortisque sis ô universe popule terræ,* ait *Dominus, &*

ædificate, quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum. Verbum quod excidi vobiſcum quum de Ægypto exiretis, & ſpiritus meus perſeverabit in medio veſtri: nolite timere. Ribera ait non poſſe hinc Trinitatis myſterium probari, quia LXX pro *Verbo* ῥῆμα verterunt, quod non ſolet Filii eſſe nomen, ſed λόγος.

LXXIV. Apoc. XXII. 1. Pſeudo Alexander PP. epiſt. 1. allegat pro probanda Trinitate & Vnitate, & ita legit: *Dominus Deus & Spiritus prophetarum, miſit angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri cito*: ex quo loco arguit Filium intelligi per *Dominum*, Patrem per *Deum*, & Spiritum S. per *Spiritus Prophetarum*, adeoque innui Trinitatem; *Vnitatem* verò indigitari voce ſingulari *miſit*. Stultos profectò oportet illo tempore fuiſſe hæreticos, ſi ſibi ita imponi paſſi ſunt, ut ſe hoc loco confundi arbitrarentur; nam hodie hoc hominum genere nihil eſt cautius, ſubtilius vel callidius: quocirca ego non auſim hoc argumento contra naſutiores hæreticorum noſtri temporis uti, niſi ultrò me iis deriſui exponere vellem: protinus enim dicerent ſecundum textum græcum legendum: *Dominus Deus Spirituum prophetarum miſit angelum ſuum*, &c. unde etiam patet per Spiritus prophetarum intelligendos angelos, 1 quia *habent Dominum Deum*. 2 quia *Spiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt*. 3 quia convenit

nit ut *angelorum dominus* dicatur, qui *angelum ſuum* mittere dicitur.

LXXV. Pſalm. XLV. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Baſilius h. l. *Iam quidem aliqui putârunt ex perſona Patris hæc dici de Verbo in principio apud ipſum exiſtente. Mihi verò videntur hæc ad propheticam perſonam referri. Nam quæ deinceps ab hoc dicto ſequuntur, non amplius ſimiliter exæquant nobis de Patre expoſitionem.*

LXXVI. Thren. IV. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus.* Fr. Lucas Brugenſis tract. de Chaldaïca S. Scripturæ Paraphraſi, de h. l. *Non ita luculentus eſt hic de Chriſti divinitate locus, ut ſi aliter Iudæus exponat, reprehenſionem mereatur. Nam ſpiritus oris noſtri, hoc eſt vita noſtra, dicuntur etiam homines, quorum protectione aut beneficio vivimus.*

LXXVII. Matth. II. 2. *Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum.* i. e. explicante Fr. Luca Brug. Maldon. Piſcat. *Vidimus indicem nativitatis ejus, ſtellam quæ loquitur eum natum, vel quâ nativitas Chriſti nobis eſt à Deo patefacta.* Porro Fr. Lucas Brug. h. l. *Chriſti Deitatem adorandi verbum ſtatuere haud poteſt, quod, ſive latinum, ſive græcum, ſive hebraïcum ſpectes etymon, nihil ampliùs quàm ſupplicem venerationem ex vi ſuâ notat.* In Matth. IV. 10. Idem: *Porrò adorandi vox, & quæ huic græcè reſpondet προσκυνεῖν, quæque hebraïcè השתחוה, nihil ex ſe ampliùs ſignificant, quàm exteriorem veneratio-*

nem cum corporis prostratione aut incurvatione: quare frequenter in sacris literis, honor illis significatus, & hominibus, maximè principibus, magnisque viris tributus cum laude refertur, 3. Reg. 1. vers. 16. 23. 32.

LXXVIII. Matth. IX. 6. *ut sciatis quod filius hominis habeat potestatem in terra, peccata remittendi.* Maldonatus h. l. *Plerique interpretes existimant Christum probare voluisse, se esse Deum, ac propterea non blasphemare, cùm dicit se remittere peccata. Ego nihil me, si cum illis conferor, judicio & autoritate valere scio; sed tamen & singula verba & totum argumentum perpendenti, videtur probare Christus, non solum Deum potestatem habere peccata remittendi:* &c.

LXXIX. Joh. XX. 28. *Dominus meus & Deus meus.* Maldonatus h. l. *Reperti sunt qui pro Arianis responderent, & eos qui nunc Arianorum iterum hæresin suscitant, respondere docuerint, hæc verba non ad Christum, sed ad Patrem referenda: nec enim indicativam orationem, sed exclamationem esse, q. d. ô Deum immortalem, quid video? quid tango?*

LXXX. Apoc. I. 17. *Ego sum primus & novissimus.* Hugo Cardinalis: *vel primus, omnium excellentissimus, & tamen novissimus, id est omnium despectissimus.* Vide Calvinum in Esai. XLVIII. 12. loco LXV.

Ostensis itaque his argumentis invalidis ad probandum Trinitatis coëssentialitatem, coæqualitatem & coæternitatem in genere, atque

atque in ſpecie Filii, Spirituſque ſancti ſummam deitatem, ceu quæ aliter exponi poſſint, cùm tamen illa argumenta & teſtimonia tantùm firma ſint ad aliquid probandum, quæ in alium ſenſum torqueri nequeant, nedum commodè alio modo exponi ac intelligi: reliquum eſt, ut, quod ſuſcepimus, probemus dogma noſtrum locis firmiſſimis. Dixi autem ſupra, me tantùm producturum teſtimonia Novi Teſtamenti, ſentio enim myſterium noſtrum demum in Novo Teſtamento revelatum fuiſſe. Ita Tertullianus adv. Prax. *Deus*, inquit, *voluit ut novè unus Deus crederetur per Filium & Spiritum ſanctum.* Cyprianus ſerm. 6. *Sacramentum Trinitatis in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat.* Unde non mirum videatur, *Iudæos non credidiſſe, niſi in unum & ſolum Deum Patrem*, ut ait Autor Operis Imperf. homil. 45. Hieronymus adv. Lucifer. *Neque enim Centurio, aut illa muliercula, quæ per duodecim annos fluxu tabeſcebat, in Trinitatis ſacramenta crediderant: quæ poſt reſurrectionem Chriſti apoſtolis manifeſtata ſunt.* Rupertus Tuit. lib. XI. c. 14. *Ante adventum Chriſti tacitum fuit vulgò myſterium tanti hujus divini nominis Patris & filii & ſpiritus ſancti, quia necdum illud capere poterat infantia ſeu juventus mundi nimium carnalis.* Conf. cap. 1. Fr. Lucas Brugenſis in Ioann. I. 49. *Nondum* (tempore Chriſti) *divulgatum erat myſterium Trinitatis, ita ut crederent Iudæi expreſſè Meſſiam fore natura Fi-*

lium Dei, Deum de Deo, unius cum Patre substantiæ, potentiæ ac gloriæ. Ibid. *Sentimus Iesum sibi reservâsse mysterium Trinitatis divulgandum.* Ibid. *Iesum ne quidem discipulos suos mox ab initio Trinitatem docuisse: quia* (ut scribit in Matth. XXVIII. 19.) *Trinitas personarum magis ad idololatriam & Polytheïan introducendam idonea esset, quàm Dei unitas.* Conf. D. Lindan. de ver. Christ. Eccles. diatr. anal. c. 44. & D. D. Calovius Anticrell. §. 420. Et sicut Lactantius olim docuerat, *Christum se nunquam Deum* dixisse, ita & qui inter Albigenses Ariani erant, docebant, *Christum nunquam se in Euangelio apertè Deum* dixisse, contra quos scripsit Petrus Cluniacensis. Alfonsus Salmero proleg. in Euang. XI. q. 3. can. 25. Trinitatem in Vet. Test. ignotam fuisse indicat his verbis: *Sacrosanctæ Triadis mysterium nulli unquam menti, quantumcunque excellenti, & de divinis altißima speculanti pervium fuit, aut eße potuit, sed in solo Euangelio ejus patefactio, & prædicatio mysterii servata fuit.* Videtur autem nomine *Euangelii*, metonymicè specie pro genere posita, totum Novum Testamentum accepisse. Nam proleg. XXVI scribit, *Christum ab Euangelistis non accepisse testimonium, quòd sit Deus.* Reliquis manentibus tantùm epistolis Pauli, Petri, Iacobi, Iudæ. Et revera vel ex solis epistolis Pauli (nam in epistolis Petri, Iacobi & Iudæ, nihil quod ad rem nostram faciat, facilè reperiri liceat,) probari

possit

possit omnium sufficientissimè cùm Trinitas personarum in genere, tum Filii ac Spiritûs S. Deitas, ut ex iis quæ dicemus, elucescet.) paulò pòst scribit: *quòd in Vet. Test. articulus de mysterio Trinitatis nondum credendus proponeretur, quia ejus populus nondum poterat esse capax: in lege tamen Dei unitas contra idololatras inculcabatur: unde illud in principio legislationis, Deut. VI.* Audi Israël Dominus Deus noster Deus unus est. Galatinus secutus Theodoretum & Cedrenum docet de arc. Cath. verit. cap. 1. *Sacramentum Trinitatis explicitè atque apertè revelandum ad dies Messiæ revelatum fuisse, quia Iudæi ad idololatriam & multitudinem Deorum statuendam proclives fuerint.* Primo itaque loco ad probandam S. Trinitatis doctrinam in genere producimus.

I. Matth. III. 16, 17. *Et baptizatus Iesus ascendit statim ex Aqua: & ecce, aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox è cœlis, dicens: Hic est filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.* Unde Ariani non immeritò solent remitti vel relegari ad Jordanem, ut ibi videant Trinitatem, & sic fortè credant, his versibus: *Abi vane Ariane, & videbis in Iordane, sanctam Trinitatem planè.*

II. Matth. XVII. 5. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos; & ecce vox è nube dicens, Hic est filius ille meus dilectus,*

in quo acquiesco; ipsum audite. Omnes autem interpretes S. Scripturæ per nubem intelligunt Spiritum sanctum. Ita etiam Rabbini ipsi per *nubem* Num. IX. 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22. & per *columnam nubis* Exodi XIII. 21, 22. intelligunt *Schechinah*, i. e. Spiritum sanctum.

III. Rom. XI. 36. *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Ubi *Ex ipso* est *ex Patre*: *per ipsum* est *per Filium*: *in ipso* est *in Spiritu sancto.*

IV. 2 Cor. XIII. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi & caritas Dei & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.*

V. 1 Cor. VIII. 6. *Vnus Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per illum.*

VI. 1 Cor. XII. 4, 5, 6. *Divisiones donorum sunt, idem verò spiritus: & divisiones ministrationum, idem autem Dominus: & divisiones efficaciarum sunt; idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus:* licet Dominus Calvinus dicat, *argumentum hoc nimis infirmum esse, siquis os velit obstruere Arianis.*

Extant quoque in Veteri Testamento hujus mysterii obscura quædam vestigia, quibus quidem illud contra protervientes minimè probari potest, & ex quibus mysterium illud, si ignotum esset & inauditum, minimè investigari posset: possunt tamen iis orthodoxi,

inter-

interque eos inprimis rudiores, qui in ſimplicitate ſuæ ignorantiæ Deo longè gratiores ſunt, quàm ſapientes hujus ſeculi, quique captivant rationem ſub obedientiam fidei, quam à præceptoribus ſuis acceperunt, in ſuâ fide piè confirmari, ceu illuſtrantibus S. Trinitatem.

Nam 1. Geneſ. I. 1. vox unica ברא denotat Unitatem eſſentiæ; tres verò ejus literæ ſubindicant Trinitatem perſonarum, ita ut prima ב ſignificet בן filium: ſecunda ר, רוח Spiritum ſanctum; tertia א oſtendat אב *Patrem*: ut ſcribit Stumpffmannus im Chriſtgeiſtlichen himmels Ehren-Preiß.

2. Ab hoc argumento non abludit, quod prima litera Vet. Teſtamenti ב & ultima Novi Teſtamenti ν, ſecundùm veriſimilitudinem conſtituant בן *Filium.* Iſto argumento ad probandum Filii æternitatem utitur Excellentiſſimus D. D. Joannes Caſparus Schumacherus, Affinis, Compater (NB.) & Collega meus honoratiſſimus, &c. &c. &c. im kurtzen / einfältigen / doch gründ-klärlichen Kinder-Catechiſmo dediciret an Ihr. Ihr. Ihr. Hochfürſtl. Hochfürſtl. Hochfürſtl. Durchl. Durchl. Durchl. von Braunſchweig und Lüneburg / parte I. lib. 3. cap. 2. ſect. 6. num. 12. §. 8. (γ.) ((ב.)) in quo Suas altiſſimè memoratas Serenitates, Dominos, Dominos ſuos, ad perſeverandum in orthodoxia ſemel cognita adhortatur.

3. Vocabulum Tetragrammaton à Judæis ſolet ſcribi tribus ', ita ut uni ' ſubjician-

ciantur alia duo hoc modo ,',. Hoc argumento ad probandam Trinitatem personarum utitur clarissimus M. Himatiopœus, serm. in Domin. Trinit, in opere suo, cui tulum fecit: D. O. M. Gemüth-Seel-Sinn-Krafft- und Hertz-stärckungs / Sontägliche Morgens- und Abends-Postill: ut & subtilissimus Dominus Licentiatus Idsardi Hamburgensis, qui summa cura studet convertere Judæos ad fidem invariatæ Augustanæ Confessionis, quique non segniter inquirit in hæreticam pravitatem, hæreticosque ex urbe patria ejicere omni studio molitur.

4. Illustrari potest Mysterium nostrum ex versione τῶν LXX. in quâ græca litera π habet tres lineas, unam supremam, alteras duas subjectas seu ex illâ dependentes, & tamen unica tantùm est litera: quo argumento utitur Excellentissimus D. D. Gartnerus, Superintendens Generalis districtus Schwartzbergensis in Collegio Anti-Photiniano p. 25.

5. Genes. V. legimus Adamum, Evam & Sethum tres fuisse personas unius essentiæ. His duobus postremis argumentis utuntur Regiomontani Ministeriales orthodoxi in Resolut. Dubii 1. ubi ita scribunt: *Sic Iustinus (vel quicumque Autor sit) in Q.Q. & R R. ad Orthodoxos fol. 479. 480. hoc mysterium illustrat ex Græcorum litera π, quæ una litera tribus constat lineis. Idem fol. 480. exemplo creationis Adami & Evæ, itemque generationis Sethi monstrat, quomodo in Deo quidem*

sint

ſint tres ſubſiſtendi modi, manente tantùm una eſſentia.

Sequentia loca ad probandam Trinitatem in Unitate proponit Pſeudo-Alexander PP. epiſt. 1. nempe

6. Geneſ. I. 20, 21, 22. *Dixit Deus, fecit Deus, benedixit Deus.*

7. Exodi XXXIV. 6. *Domine, Domine, Deus, miſerator & miſericors.*

8. Exodi III. 15. *Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Iacob, hoc mihi nomen eſt.*

9. Eſaiæ XXXVII. 16. *Domine Sabaoth, Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim.*

10. 2 Reg. VII. & 3 Reg. VIII. per totum: *Domine Deus omnipotens, Deus Iſraël, ſermones tui fideles ſunt.*

11. Pſalm. LVIII. 6. *Dominus Deus virtutum, Deus Iſraël, intende ad viſitandas omnes gentes.*

12. Deuter. IV. 31. *Dominus Deus tuus miſericors eſt, & audiet vocem tuam.*

13. Joſue II. 11. *Dominus Deus Deorum eſt.*

14. 3 Reg. XVIII. 36. *Domine Domine Deus Iſraël, oſtende quia tu es Deus meus.*

15. Eſther III. *Domine Deus Omnipotens, omnia in poteſtate tuâ ſunt.*

16. Judith IX. *Domine Domine Deus omnium virtutum, reſpice in orationem meam.*

17. Jerem. X. 10. *Dominus Deus veſter verax eſt.* vel ut Scherzerus diſp. 8 Coll. Anti-Socin. legit: *Iehovah eſt Elohim viventes.*

18. Deut.

18. Deut. XIX. *Dominus Deus vester hic est Deus.* & in eodem libro.

19. *Dominus Deus tuus, Deus magnus & potens est.*

20. *Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob ipse impleat benedictionem suam in vobis.*

Porrò in sermone de sancta & consubstantialiali, vivificaque ac inseparabili Trinitate, quem inter opera Joannis Hierosolymitani sub nomine Chrysostomi edidit Wastelius, Trinitas etiam probatur, ex eo quod

21. Tres pueri in camino, omnes creaturas & ficturas glorificent Deum, vocant Solem, Lunam, stellas, cœlos, angelos, virtutes, homines, spiritus, omnem creaturam visibilem & invisibilem & mente præditam, & nusquam commemorant Filium vel Spiritum sanctum inter facturas.

Tandem etiam Excellentissimus D. D. Scherzerus disp. 8 & 13 Collegii Anti-Socin. Trinitatem personarum, essentiæque unitatem probat ex

22. Ecclesf. XII. 1. *Memento creatorum tuorum.*

23. Psalm. CXLVI. 2. *Memento factorum tuorum.*

24. Jos. XXIV. 19. *Iehovah Elohim sancti est.*

25. Esai. XLVIII. 16. *Dominus Deus misit me & Spiritus ejus.*

26. Esai. VI. 8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?*

27. Iobi

27. Jobi XXXV. 10. *Ubi est Deus factores mei dans Cantica?*

28. Esai. LIV. 5. *Dominatores tui, factores tui Iehovah Zebaoth, nomen ejus.*

29. 2 Sam. VII. 23. *Iverunt Elohim.*

30. Esai. XLI. 22. *Nuncient nobis.*

Et ex Novo Testamento.

31. Joann. III. 11. *Scimus, quod loquimur*; in quo quidem loco Disp. 13. putat τὸ plurale *Scimus* (quod Christus dicit) denotare personarum Trinitatem: ego verò non ausim veteri hæresi, *Trinitatem totam esse incarnatam*, hac expositione renascendi ansam præbere. Deitatem quoque supremam Filii idem D. Scherzerus probat ex Vet. Test. 1. quod dicitur *Omnipotens*, Esai LX. 6. 2. quod dicitur *Iehovah*, Hoseæ I. 7. *Salvabo ipsos in Iehovah Elohim ipsorum*, i. e. in Christo: & Esai LXI. 1. *Spiritus Iehovæ est super me*, scil. Christo. Verùm hæc quidem, ut dixi, sufficientia sunt, ut quis illis pio zelo orthodoxos rudiores, qui veritatem jam agnoverunt, & in dogmate nostro innutriti sunt, in fide salvificâ SS. Trinitatis confirmet, odiumque adversus hæreticos semel conceptum magis excitet; sed, ut veritatem ingenuè, ut sentio, proloquar, non videntur mihi testimonia ista satis firma esse, quæ Trinitatem persuadeant alicui, qui antè nihil de eâ inaudiverit, vel quæ Trinitatem necessariò, ita ut nullus alius sensus fingi possit, demonstrent: verbo dicam, non puto loca ista satis

virium

virium habere vel ad convertendum Judæos, vel ad convincendum seu confundendum hæreticos.

VII. Argumentum omnium validissimum est.

Si Filius & Spiritus S. non secus ac Pater est summus Deus, Ergò Filius & Spiritus S. cum Patre habent unam numero essentiam: quia unus tantùm est Deus summus.

Atqui Filius & Spiritus S. non secus ac Pater est summus Deus.

Ergò Filius & Spiritus S. cum Patre habent unicam numero essentiam.

Minorem nunc probabimus primò de Filio, deinde & de Spiritu sancto. Et quod ad Filii quidem Deitatem altissimam attinet, duplex occurrit adversariorum genus, alterum Socinianorum, qui negant Christum extitisse, antequam nasceretur ex Maria: Arianorum alterum, qui quidem ajunt Christum genitum seu creatum fuisse ante mundum, perque eundem & angelos, & mundum hunc visibilem fuisse conditum; sed eundem cum Patre suo non esse consubstantialem, nec coæternum, nec coæqualem. Sociniani solidè refelluntur.

VIII. ex Johan. I. 1. *In PRINCIPIO erat Verbum.* 3. *OMNIA per ipsum FACTA sunt, & sine ipso FACTUM est nihil.* 10. *MUNDUS per ipsum FACTUS est.* D. Joannes hic non tantùm utitur voce τȣ̃ λόγȣ, quâ utebantur sui temporis

poris Judæi, ut & Gentiles, qui etiam ante eum ſcripſerant; ſed & eadem prædicata illi tribuit, quæ leguntur in Judæorum, Gentiliumque ſcriptoribus. Nam, ut præteream λόγους vocari apud Philonem ſpiritus, angelicaſque ſubſtantias, (quod Sandius demonſtravit Diſſert. περὶ τοῦ λόγου,) adeò ut rectè ſcribat Euſebius contra Marcellum l. 1. *Judæos plures Dei λόγους agnoſcere*; tantum probabo eadem iiſdem verbis ſcribere Joannem, quæ & ante eum, & ſimul cum eo ſcripſerunt Ethnici, Iudæi & Chriſtiani. Ex Chriſtianorum numero ſunt Hermas & Clemens qui epiſcopus Romanus creatus a. 94. obiit a. 102. S S. Pauli & Petri diſcipuli: quorum ille omnino ſcripſit ante Ioannem, quod & de hoc ſummè veriſimile eſt, quandoquidem Joannes vix ac ne vix quidem ante a. 100. potuit ſcripſiſſe ſuum Euangelium, quod ſcripſit Epheſi redux ex Patmo. S. Ignatius porrò, ipſius S. Ioannis diſcipulus, non diu poſt magiſtrum ſuum ſcribere potuit, quando epiſcopus Antiochenus creatus a. 69. martyrio occubuit a. 110. Hi omnes de Verbo anteſeculari loquuntur, quo vetus cœlum & terra creata ſunt: ſpeciatim Ignatius ex initio Euangelii ſui magiſtri contra hæreticos probat Chriſtum fuiſſe ante Mariam. Nunc diſſeram de Ethnicis, iiſque ſolis, qui ante Joannem ſcripſerunt, omiſſurus eos, qui poſt eum ſcripſerunt, ne Socinianis vel leviſſimam anſam præbeam cavillandi, eos ex Joanne

anne sua accepisse. S. Joannes ait, *In principio erat Verbum*, quod cùm legisset Amelius Philosophus Platonicus, *Per Iovem*, inquit, *barbarus iste cum nostro Platone & Heraclito sentit Verbum Dei in ordine principii esse constitutum, & nostri magistri mysteria in suum ipsius librum transtulit.* Non potuit autem Plato & Heraclitus hic intelligere *principium euangelii*, ante quod plurimis annis vixerunt: & si fingamus eos ex revelatione cognitionem euangelii prædicandi habuisse, dixissent utique *Verbum fore in principio*, non *Verbum fuisse in principio*: unde patet eos *principium* suo tempore jam præteritum intellexisse. Imò scire velim, quâ ratione isti saltem cognitionem nominis *Verbi* adepti fuerint, si Christus tantum propter prædicationem Euangelicam dictus fuit *Verbum*, & si Joannes istam vocem primus eo sensu vel invenit, vel usurpavit. Porrò Ioannes scribit, *& Deus* (θεὸς) *erat Verbum*: ita & Plato *Mentem* vocat θεὸν *deum*: & apud Constantinum orat. ad SS. cœt. & Gregorium Nyssenum 1. adv. Eunom. *Verbum* appellat *secundum, inferiorem & subjectum Deum*. Deinde Ioannes addit, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: & paullò pòst, *Mundus per ipsum factus est.* Non aliter Plato apud Origenem lib. 6. contra Cels. *Qui universum hoc condidit, Dei filius est. Primus autem & supra omnes deos hujus est genitor.* Idem in Cratylo & Phædone,

ne, *Mentem* vocat *omnium caussam exornantem*: & in Epinomide ait, *Mundum esse constitutum à Verbo omnium divinißimo.* Heraclitus quoque *per Verbum facta esse* sensit, *quæ semper facta sunt*, ut tradit Amelius apud Cyrill. lib. 8. contra Iulian. Illi verò non potuerunt non intelligere veterem mundum, de cujus creatione in tempore præterito loquuntur. Deinde nihil frequentius est Platonicis, quam *Mentem* vocare *Opificem.* Rectè itaque Origenes ait, aliquantos Philosophorum veterum scribere, *Deum cuncta per Verbum suum fecisse.* Ex Iudæis loco omnium sit Philo, qui etiam ante Ioannem scripsit, certè non post eum, cùm legatione nomine Iudæorum functus legatur ad Imp. Cajum Caligulam, qui obiit a. 42. Ille, quod Ioannes scribit: *&* (θεὸς) *Deus erat Verbum*, ita exprimit lib. 1. quæst. & solut. *Secundus deus primi Dei Verbum est.* & lib. de Somniis, *antiquißimum Verbum Dei vocatur Deus abusivè sine articulo.* Porrò quod Ioannes refert, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* item: *Mundus per ipsum factus est*, ille ita effert lib. 2. allegor. *Verbo suo Deus tanquam instrumento utens mundum creabat*: (quo sensu etiam Lutherus in I. Genes. *Filium Dei creationis instrumentúm* dicit:) lib. de Monarchia. *Verbum est imago Dei, per quod totus mundus factus est.* De Cherub. *Verbum Dei est instrumentum, per quod mundus est*

conditus. lib. quod Deus immutab. *Deus ille ingenitus Verbo ſuo mundum condidit*. De migrat. Abrahami, *Verbo Deus in mundi creatione inſtrumento uſus eſt*. Quam pulchrè ergò conſonant & Ethnici Philoſophi, & Iudæi (à quibus olim Philoſophi iſta myſteria acceperant) non ſolum cum Ioanne, ſed & cum Davide, qui Pſalm. XXXIII ſcribit: *Verbo Domini cœli facti ſunt*, NB. *facti ſunt*, non *fient*. & cum Apoſtolo Paulo Colloſſ. I. 16. *per eum condita ſunt omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates:* (quæ virtutes angelicæ, ſive ſanctæ, ſive lapſæ intelligantur, regeneratæ dici nequeunt: non ſanctæ, ille enim regeneratione non habuerunt opus; non lapſæ, illæ enim non meruerunt regenerari:) *omnia per ipſum & in ipſum condita ſunt*, Hebr. I. 2. *per Filium ſecula fecit*, & verſ. 10. *Tu in initio, Domine, terram fundâſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli*. ubi veteres cœlos, veteremque terram exponere compelluntur ipſi Sociniani. Epheſ. III. 9. *Deus omnia condidit per Ieſum Chriſtum*. Deinde quod Ioannes ait: *Ille erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Philo ita exprimit ut dicat, *Verbum eſſe verum animæ lumen*. Tandem quod Ioannes addit, v. 18. *Deum nemo vidit unquam*, (*ipſius autem gloriam vidimus*), Philo

lo his verbis proponit lib. de nomin. commut. in illud, Apparuit Deus Abrahamo: *Nam quæ humana mens idonea esset ad illam apparentis speciem capiendam? Sed ut una virtutum, quæ circa illam sunt, nempe Regia, tunc apparuerit.* Denique v. 14. 18. *unigenitus Filius*, & Coloss. I. 15. *primogenitus Christus dicitur.* Non aliter Philo lib. 1. de agricult. apud Euseb. præp. Euang. XI. 15. *Verbum Dei & primogenitus filius*: de confus. lingu. *Hunc antiquissimum filium Pater ille entium exoriri voluit, quem alibi primogenitum nominat: qui genitus mox Patris vias imitatus est, & qualia vidit apud eum exemplaria, tales formavit species.* post: *primogenitum Dei Verbum.* De mundi opif. Deum *Patrem* ejus vocat; lib. 2. alleg. Verbum *genitum* dicit. Et ne ulla ratione dubites de eodem Verbo loqui Philonem & Ioannem, conferam Philonis verba de eo cum aliis scripturæ locis. *Filius* dicitur *imago Dei*, 2 Cor. IV. 4. Coloss. I. 15. *Splendor gloriæ & Character hypostaseos illius*, Hebr. I. 3. Similiter Philo Sapientiæ Salom. VII. 26. *Sapientia est æternæ lucis splendor, limpidissimum divinæ virtutis speculum & imago bonitatis ejus.* Si verò negas Philonem hujus libri autorem, accipe sequentia certiora & clariora, ex lib. de Monarch. *Verbum est imago Dei.* de confus. lingu. *Imago Dei sacratissimum Verbum.* ibid. *Dei imago est Verbum antiquissimum*, de profug.

Ipse imago Dei existens, antiquißimus est omnium intelligibilium, & summo proximus quandoquidem nihil medium est inter ipsum & Ens illud verißimum. de Somniis. *Imago Dei angelus ipsius Verbum.* lib. 2. alleg. *Umbra Dei Verbum ejus est.* Coloss. I. 18. Christus dicitur *principium*: & Philo de confus. lingu. *Verbum Dei dicitur principium.* Coloss. I. 15. dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, & à Philone de migrat. Abrah. *Verbum creatorum omnium antiquißimum.* Malach. III. 1. *angelus fœderis*, & Esai. IX. 6 *magni consilii angelus.* Ita Philo lib 2. alleg. *Angelus Dei, qui est ejus Verbum.* quod Deus immutab. *Verbum est divinus angelus.* de confus. lingu. *Dei Verbum angelus antiquißimus, & quasi archangelus.* quis rer. divin. hæres, *Archangelus & antiquißimum Verbum.* de Somniis: *Imago Dei angelus ipsius Verbum.* De Christo, ipso interprete Luc. IV. intelligendum quod dicitur Esaiæ LXI. 1. *Spiritus Domini Dei super me est, eo quod unxit me Dominus*: quo pertinent & illa, *Super te requiescent septem Spiritus Dei.* item: *non secundum mensuram Christo Deus dedit Spiritum.* Sic & Philo de mundi opif. *Cum rationalibus divinis naturis convivendo & colloquendo, verisimiliter in felicitate sincerißimâ degebat ille cognatus summi Regis recens in lucem proditus, qui multo in ipsum effuso Spiritu divino omnia tum dicere tum facere studebat ad placitum Patris, Regisque sui.*

1 Tim.

1 Tim. II. 5. *Christus* est *Mediator Dei & hominum.* Similiter Philo lib. quis rer. div. hæres: *Archangelo & antiquissimo sermoni donum egregium dedit qui omnia generavit Pater, ut medius stans discernat factum ab eo qui fecit; ipse autem ille supplicator quidem est mortalium, qui semper coram immortali pereunt: at legatus est Ducis illius ad subditos. Lætatur verò super dono, & glorians illud enarrat dicens: Et ego steti medius inter Dominum & vos, nec ingenitus existens ut Deus ille, nec factus sicut vos; sed medius inter extrema, utrisque colloquens.* Christus dicitur *minister sanctuarii & circumcisionis.* Sic Philo de profugis: *Testimonium autem perhibet sermoni meo ascetes ille, ubi dicit: Deus ille qui nutrit me ab adolescentiâ mea, angelus ille* (quem lib. 2. allegor. interpretatur *Verbum*) *qui eruit me è cunctis malis. Antiquiora enim bona illa, quibus anima nutritur, ad Deum retulit; recentiora autem, quæ ex fugâ peccatorum proveniunt, ad ministrum Dei.* quod Deus immutab. *Donat Deus ille ingenitus utens Verbo suo ministro donorum, quo etiam mundum condidit.* Christus dicitur *propitiatio nostra:* & Philo de Somniis, *Propitiationis caput & summa est Dei Verbum.* At quis posset omnia similia enarrare, & ubi Philo cum Scriptura Novi Testamenti Verbum vocat *Regem, legatum, supplicatorem* seu *advocatum, sacerdotem,* &c? Ioh. XX. 17. Christus dicit, *Vado ad Deum meum.* Conf.

Ipse imago Dei existens, antiquißimus est omnium intelligibilium, & summo proximus quandoquidem nihil medium est inter ipsum & Ens illud verißimum. de Somniis. *Imago Dei angelus ipsius Verbum.* lib. 2. alleg. *Vmbra Dei Verbum ejus est.* Coloss. I. 18. Christus dicitur *principium:* & Philo de confus. lingu. *Verbum Dei dicitur principium.* Coloss. I. 15. dicitur *primogenitus omnis creaturæ;* & à Philone de migrat. Abrah. *Verbum creatorum omnium antiquißimum.* Malach. III. 1. *angelus fœderis,* & Esai. IX. 6 *magni consilii angelus.* Ita Philo lib 2. alleg. *Angelus Dei, qui est ejus Verbum.* quod Deus immutab. *Verbum est divinus angelus.* de confus. lingu. *Dei Verbum angelus antiquißimus, & quasi archangelus.* quis rer. divin. hæres, *Archangelus & antiquißimum Verbum.* de Somniis: *Imago Dei angelus ipsius Verbum.* De Christo, ipso interprete Luc. IV. intelligendum quod dicitur Esaiæ LXI. 1. *Spiritus Domini Dei super me est, eo quod unxit me Dominus:* quo pertinent & illa, *Super te requiescent septem Spiritus Dei.* item: *non secundum mensuram Christo Deus dedit Spiritum.* Sic & Philo de mundi opif. *Cum rationalibus divinis naturis convivendo & colloquendo, verisimiliter in felicitate sincerißimâ degebat ille cognatus summi Regis recens in lucem proditus, qui multo in ipsum effuso Spiritu divino omnia tum dicere tum facere studebat ad placitum Patris, Regisque sui.*

1 Tim.

1 Tim. II. 5. *Christus* est *Mediator Dei & hominum.* Similiter Philo lib. quis rer. div. hæres: *Archangelo & antiquissimo sermoni donum egregium dedit qui omnia generavit Pater, ut medius stans discernat factum ab eo qui fecit; ipse autem ille supplicator quidem est mortalium, qui semper coram immortali pereunt: at legatus est Ducis illius ad subditos. Lætatur verò super dono, & glorians illud enarrat dicens: Et ego steti medius inter Dominum & vos, nec ingenitus existens ut Deus ille, nec factus sicut vos; sed medius inter extrema, utrisque colloquens.* Christus dicitur *minister sanctuarii & circumcisionis.* Sic Philo de profugis: *Testimonium autem perhibet sermoni meo ascetes ille, ubi dicit: Deus ille qui nutrit me ab adolescentiâ mea, angelus ille* (quem lib. 2. allegor. interpretatur *Verbum*) *qui eruit me è cunctis malis. Antiquiora enim bona illa, quibus anima nutritur, ad Deum retulit; recentiora autem, quæ ex fugâ peccatorum proveniunt, ad ministrum Dei.* quod Deus immutab. *Donat Deus ille ingenitus utens Verbo suo ministro donorum, quo etiam mundum condidit.* Christus dicitur *propitiatio nostra:* & Philo de Somniis, *Propitiationis caput & summa est Dei Verbum.* At quis posset omnia similia enarrare, & ubi Philo cum Scriptura Novi Testamenti Verbum vocat *Regem, legatum, supplicatorem* seu *advocatum, sacerdotem*, &c? Ioh. XX. 17. Christus dicit, *Vado ad Deum meum.* Conf.

Apoc. III. 12. & Pſalm. XLV. &c. & Philo *Verbi Deum* vocat, de Somniis. Ioh. XIV. 28. Chriſtus ait: *Pater major me eſt.* & Philo lib 1. quæſt. & ſolut. *Deus ſupra & ante Verbum eſt, & ſupra Verbum in optima & ſelectißima quadam idea conſiſtit.* Sed plurima hujus generis teſtimonia legenda ſunt in Sandii Diſſert. περὶ τοῦ λόγου, non enim auſim negare Philoſophos Platonicos & Iudæos perinde de Verbo, ut Arianos locutos, quin ultrò fatear Arianos ex humanis authoritatibus non poſſe, ſed neceſſariò debere ex teſtimoniis divinis refelli. Nunc autem hoc argumento primo meminiſſe velim lectorem, me agere contra Socinianos, ex conſenſu omnium veterum & Joanne antiquiorum ſcriptorum, in *Verbi anteſecularis* ſententiam. Quarnobrem rectè ſcribit Autor Operis Imperf. hom. 1. *Iudæi ſemper cognoſcebant quia eſt filius Dei, & quomodo eſt filius Dei.* (unde conſtat apud ipſos Verbum aliâ de ratione fuiſſe filium Dei, quàm per conceptionem ex Spiritu ſancto, baptiſmum & reſurrectionem.) *Superfluum ergò erat* (Matthæo) *exponere eis divinitatis ejus naturam, quam ipſi optimè cognoſcebant: neceſſarium autem fuit myſterium incarnationis ejus ipſis oſtendere.* Et Euſebius demonſtr. Euang. IV. 1. ſcribit, *Iudæos ſuorum ſcripta ſequentes & Chriſtianos eandem de Chriſto fovere doctrinam.* Memineris autem utrumque ſcriptorem fuiſſe Arianum. Porro & Gregorius Nyſſenus

1. adv.

1. adv. Eunom. queritur, Arianos accepisse ex Platone & Judæis, quod Deum Patrem summum conditorem & creatorem Dei inferioris & subjecti constituerint. Post Joannem Christianos omnes, quotquot vixerunt ante Socinum, qui ante se neminem suo modo principium Euangelii Joannis exposuisse rectissimè confitetur, sensisse per Verbum creatum fuisse veterem mundum, adeò manifestum est, ut etiam in eadem sententiâ consenserint Paulus Samosatenus & Photinus, qui aliàs perperam idem cum Socino de Verbo credidisse putantur. Inprimis notandum quod Ignatius S. Joannis discipulus eundem sensum sequatur: ubi memoria suggerit argumentum, quo vulgo probatur veritas religionis Christianæ ex eo quòd Apostoli nec decipi potuerint, quia testes oculati fuerunt, & quia nescire non poterant, Jesumne furati essent, nec ne: nec decipere voluerint, quia martyrium pro Christi fide subierunt: cùm tamen se propter mendacium, quod tale esse scit, nemo interfici pateretur. Hoc argumentum si firmum est, uti revera est, utique eadem ratione argumentor de Ignatio, quod is nec falli potuerit circa sensum verborum Joannis, quia ipsius Joannis discipulus fuerit; nec fallere voluerit, quia pro fide apostolica martyrii perpessionem subiit. Cum itaque eodem verbo non solùm usi sint, sed & iisdem phrasibus seu prædicatis, cum Joanne tam ante, quàm post eum, ac simul cum eo,

& Judæi, & Ethnici & Christiani, iique tam orthodoxi, quàm heterodoxi, omnia quæ hactenus de hoc loco dixi, concludo in & cum hoc argumento:

Aut usus est Joannes voce Verbi prædicatisque ejus eodem sensu, quo alii ante eum & cum eo: aut alio novo, quo nemo ante Socinum usus est.

Si illud, (quod etiam inde probatur, quòd Joannes ipse dicat XX. 31. *Hæc scripta sunt ut credatis:* nemo verò credere poterat, nisi voces earumque sensum intelligeret, & nemo intelligere poterat, nisi Joannes vocibus græcis sensu ab omnibus recepto & usitato uteretur,) utique sequitur, illum sensum etiam sequendum esse, & sic *Verbum fuit in principio creationis, & per id vetus mundus creatus est.*

Sin hoc: utique 1. Joannes absurdè locutus fuit, sensumque vocum usitatum aliò detorsit. 2. Decepit suos lectores, Judæosq; ac Ethnicos in sua sententia confirmavit, cùm non addiderit hæc verba longè alio, quàm usitato sensu esse accipienda. 3. Ita scripsit, ut nihil ex ipso probari possit. Nam si per *Deum Verbum* intellexit *merum hominem*; per *principium, principium Euangelii*; per *omnia, novam creaturam*; per *mundum, apostolos*; per *creata, regenerata:* utique nec vos Sociniani potestis probare ex Joh. XIV. 28. *Patrem esse majorem Filio*; quia ego eâdem licentiâ dicere possum,

ſum, Joannem (cui ſecundùm vos non novum eſt, alio ſenſu abuti vocibus,) non uſum eſſe voce *majoris* ſenſu recepto, ſed per eam intellexiſſe *æqualitatem.*

Illud etiam dicendum, quòd ſi Socinianorum ſententia vera ſit, Chriſtum merum hominem, & qui non extitit ante Mariam, ſecundùm prædicationem Euangelicam tantùm dici Verbum, per quod omnia ſint condita & regenita: ſequitur, hanc rem, cùm ſit hiſtorica, non potuiſſe ſcribi antequam contigiſſet, adeoque Platonem & Philonem non potuiſſe iſtas veritates ſcribere, imò Ioannem (vel alium quemvis apoſtolorum, qui certè poſt Chriſtum vixit,) fuiſſe primum autorem vocis τȣ λόγȣ filio Dei tributæ, & harum enunciationum: *Verbum erat in principio, omnia per ipſum facta ſunt, mundus per ipſum factus eſt, Erat lux hominum,* &c. Jam verò certiſſimum has enunciationes reperiri ante Ioannem & Chriſtum hominem ipſum ejuſque regenerationem activam, in Platone & Philone: ergò res illæ hiſtoricæ expreſſæ in dictis enunciationibus contigerunt ante Platonem & Philonem, adeoquè per *Principium*, Euangelii principium; & per *omnia*, novæ creaturæ non ſunt intelligendæ. Non opinor dicturos, Platonem & Philonem ſcripſiſſe de rebus futuris ut Prophetas: & ſi id dixerint, ex eo refellentur, quod non minus Plato ac Philo, quàm Ioannes enunciationes illas in *tempore*

præterito protulerint. Sin dixerint, Platonem ac Philonem nugatos, Reſp. 1. Nullas nugas tam eſſe ſublimes, ut de veritatibus futuris expreſſiſſimis verbis garriant: quis enim vel nugaciſſimus, (imò quis vel ſapientiſſimus) ante trecentos annos ſcribere potuit: *Ludovicus XIV hujus nominis, Rex Galliæ, filius Ludovici XIII. occupavit Ultrajectum & dimidiam partem provinciarum Belgii fœderatarum, quæ ab Hiſpanis ſeceſſerunt, & eaſdem rurſus nullo cogente reliquit.* 2. Si nugæ ſunt in Platone & Philone hæ enunciationes, *Verbum eſt Filius Dei per quem in principio mundus creatus eſt.* Mihi iſtæ nugæ placent, quia D. Ioanni placuerunt, & quia ipſe eas confirmavit. Nam caſu accidiſſe Symphoniam iſtam Ioannis cum Platone & Philone, nullâ ratione dici poteſt: neque enim poteſt fingi Ioannes neſciiſſe enunciationes iſtas κτ̀ τὸ ῥητὸν extare in Platonicorum & Judæorum ſcriptis, porrò nec ſenſum eorum in dictis enunciationibus poteſt dici ignorâſſe, quia Theologus fuit, & ex inſpiratione Spiritus S. ſcripſit: imò nec ante acceptum Spiritum S. credibile eſt Ioannem iſtam Iudæorum Theologiam ignorâſſe: quando in Novo Teſtamento paſſim invenimus Apoſtolos fuiſſe innutritos in dogmate de præexiſtentia animarum, earumque μετεμψυχώσει. Concludo itaque: Qui cum aliis omnibus, nemine excepto, ſciens idem dicit, aut idem ſentit, aut alios decipit. Atqui Joannes. Ergò.

Hoc

Hoc argumentum mihi tantum esse videtur, ut si Socinianorum amplecterer religionem, vel Ioannis auctoritatem flocci facerem, vel negarem Euangelium illud Ioannem agnoscere autorem, vel ad minimum interpolatum crederem. Cum hoc novo argumento, Hercule meo, in arenam descendo pugnaturus contra Socinianos quosvis, quos ad pugnam ultro provoco: manus victas dabo, si mihi hunc Herculem & Achillem illum, qui secundo loco sequetur, superaverint, eruntque mihi loco magni Apollinis.

IX. Secundum argumentum contra Socinianos petitur ex cap. I. epist. ad Hebræos, vers. 10, 11, 12. *Ad Filium autem dicit: Tu in principio, Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent: ac velut amictum circumvolves eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.* In hujus loci expositione mirè se torquent Sociniani, fatenturque locum hunc omnium, qui contra ipsorum sententiam producuntur, esse validissimum: nam effugium de novâ creatione iis hic præciditur, per verba sequentia: *ipsi peribunt, & omnes ut vestimentum veterascent, ac velut amictum circumvolves eos, & mutabuntur.*

X. Tertius locus contra Socinianos extat cap. 1. Col. vers. 15, 16, 17. *Filius est ima-*

go *Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipsum creata sunt: ipseque est ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Non minus autem ridiculum est dicere virtutes cœlestes sive angelicas ideò per Filium creatas dici, quod Deus eas subjecerit sub ejus obedientiam, quàm stolidum esset dicere, Anglos esse creatos per Cromwellium, vel Carolum, eo quod Deus eos illorum jugo submiserit. Nescio quid sit scripturam torquere, si hoc non est.

XI. Quartum testimonium est Christi ipsius apud Ioh. XVII. 5. dicentis: *Nunc igitur clarifica me, Pater, apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te antequam mundus esset.* Excipiunt quidem Sociniani, istud intelligendum *de decreto Dei*, seu *prædestinatione*; sed si iis licet talem glossam addere, nihil contra eos potest profici, etiamsi scriptum esset, *Filius Dei ante mundum hunc visibilem fuit apud Deum Patrem.* Nimirum adde tò in *decreto* & *prædestinatione Dei*, & sic locum enervabis. Valeant ergô glossæ istæ!

XII. Quintus locus est Ioh. VIII. 58. *Dixit eis Iesus, Amen Amen dico vobis, priusquam Abraham esset, ego sum:* Sociniani exponunt: *Antequam Abraham fieret Abraham,*

ham, i.e. *pater multarum gentium.* Resp. 1. Abraham multarum gentium pater fuerat multis centuriis annorum ante Christum, imò plurium gentium pater ante Christum dici potuit, nimirum ante abductionem decem tribuum; neque post Christum factus est plurium gentium pater, inprimis cum Iudæi non diu post Christum destruerentur & dispergerentur. 2. Abraham fuit pater credentium, i. e. Iudæorum: noster autem (Christianorum) pater non est ipse, sed Deus. 3. Iudæi loquebantur de Abrahami persona, non de ejus qualitate. Secundum Socinianos itaque Iudæis locutis de alliis Christus respondisset de cæpis, quod absurdum dicere. 4. Secundum Socinianos subjecto caret hæc propositio, *Antequam Abraham fieret*, necessarioque Christo dicendum fuisset, *Antequam Abraham fieret Abraham.* 5. Commune est Theologorum axioma, à proprietate verborum S. Scripturæ non esse recedendum, nisi urgeat necessitas ob absurditatem. Nos itaque manemus in possessione proprii sensûs, ex quâ nos non antè exturbari patiemur, quàm Sociniani probaverint hoc dogma, *Filium fuisse ante Abrahamum*, esse contra rationem, vel contra alium Scripturæ locum manifestissimum, & omni exceptione majorem. Hoc si præstiterint, quod tamen nunquam præstare poterunt, tum demum licitum ipsis erit confugere ad locutionem figuratam.

XIII. Sextum argumentum contra Socinianos, primum verò contra Arianos petitur ex Joh. XII. 41. *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus* (Christi,) cap. VI. ubi dicit *Esaias se vidisse Dominum Sabaoth.* Vnde ita argumentor:

Cujus gloriam Esaïas vidit cap. VI. is erat Dominus Sabaoth.

At Christi gloriam vidit Esaïas cap. VI. Ioh. XII. 41.

Ergò Christus est Dominus Sabaoth.

XIV. Septimum argumentum contra Socinianos, secundum contra Arianos desumitur ex attributo *Omnipotentiæ*, quod Filio tribuitur, Matth. XI. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: & XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Argumentum in forma tale est.

Cuicunque Deus Pater tradidit omnia, deditque omnem potestatem in cœlo & in terra, ille est omnipotens.

Atqui Deus Pater *tradidit Filio omnia* (Mat. XI. 27.) *deditque omnem potestatem in cœlo & in terra*, (Mat. XXVIII. 18.)

Ergò Filius est omnipotens. Ergò Deus altissimus, quia *Omnipotentia* est attributum soli supremo Deo proprium.

Porrò ex Ioh. XVI. 15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*: ita argumentor.

Omnia quæ Pater habet, Filii sunt, Ioh. XVI. 15.

Atqui Pater habet quod sit Deus altissimus.

Er-

Ergò & Filius habet quod ſit Deus altiſſimus.

XV. Octavum contra Socinianos, tertium contra Arianos argumentum depromtum eſt ex attributo *Omnipræſentiæ*, quod Filio tribuitur Matth. XVIII. 20. *Vbi ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* & Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Argumentum ipſum tale eſt:

Quicunque eſt omnipræſens ille eſt ſummus Deus, quia omnipræſentia eſt attributum ſoli Deo proprium.

Atqui Filius eſt omnipræſens, Matth. XVIII. 20. XXVIII. 20.

Ergò Filius eſt ſummus Deus.

Sequentia argumenta excerpſi ex D. Scherzeri Collegio Anti-Sociniano, diſp. 17.

XVI. Nonum contra Socinianos, quartum contra Arianos argumentum ex attributo *Omniſcientiæ*.

Quicunque eſt omniſcius, ille eſt ſummus Deus.

Atqui Filius eſt omniſcius, Ioh. II. 25. Coloſſ. II. 3. Apoc. II. 18, 23.

Ergò Filius eſt ſummus Deus.

XVII. Decimum adverſus Socinianos, quintum contra Arianos argumentum petitur ex attributo *Immenſitatis*:

Quicunque eſt immenſus, ille eſt ſummus Deus.

Filius eſt immenſus: Joh. I. 18. *Filius eſt in ſinu Patris:* quamquam Calvi-

nus negat ex h. l. posse probari Filii consubstantialitatem cum Patre.

E. Filius est summus Deus.

XVIII. Vndecimum argumentum adversum Socinianos, sextum contra Arianos est ex attributo *Immortalitatis*.

Quicunque est immortalis ille est summus Deus.

Atqui Filius est immortalis, Joh. XIV. 6. 1 Joh. I. 2. V. 20. Joh. V. 26.

Ergò Filius est summus Deus.

XIX. Duodecimum argumentum adversum Socinianos, septimum adversum Arianos ex attributo *Divinæ Majestatis*.

Cuicunque competit Divina Majestas, ille est summus Deus.

Filio competit Divina Majestas: Lucæ I. 32. *Hic erit magnus, & filius altißimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus sedem David Patris ipsius.* 1 Cor. II. 8. *Quam nemo principum seculi hujus cognovit: nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* &c.

Ergò Christus est summus Deus.

Hactenus probata Filii summa Deitate, reliquum est ut idem quoque de Spiritu S. præstemus. Sociniani quidem negantes Spiritûs S. personalitatem sive subsistentiam, satis solide convincuntur ex iis locis S. Scripturæ, quibus *Spiritus S. dicitur descendere, venire, mitti, consolari, ducere in omnem veritatem, non à se ipso loqui & annunciare, sed de eo quod Christi*

Christi est accipere, scrutari profunda Dei, & pro nobis postulare gemitibus inenarrabilibus, in cujus nomen, non minus omnes gentes baptisari mandavit quàm in nomen Patris & Filii. Sed licet me docuerit Excellentissimus D.D. Calovius §. 468 contra Crell. *Spiritum sanctum expressè in sacris literis Deum minimò* dici, tamen Deitas Suprema Spiritûs S. contra Socinianos & Arianos, per consequentiam sanæ & illuminatæ rationis, adeoque infallibilem, probatur

XX. Primò ex Actor. V. 3. *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut falleres Spiritum sanctum:* collato cum vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* unde sic arguo:

Ananias mentitus est Spiritui Sancto.
Ananias mentitus est Deo.
E. Spiritus sanctus est Deus.

Vel sic in prima figura DArII.

Cuicunque mentitus est Ananias, ille est Deus.
Atqui Spiritui sancto mentitus est Ananias.
Ergò Spiritus sanctus est summus Deus.

XXI. Secundò ex 1 Cor. III. 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis:* collato cum VI. 19. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti.* Argumentum in formâ ita se habet.

Corpus nostrum est templum Spiritûs sancti.
Atqui Nos sumus templum Dei.

E. Spi-

E. Spiritus sanctus est Deus summus.

XXII. Tertiò ex Actor. XXVIII. 25, 26, 27. *Rectè Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam patribus nostris, Vade ad populum istum & dic: Auditu audietis* &c. collato cum Esaiæ VI. 8. 9. 10. *Audiebam vocem Domini dicentem, —— Vade & dicito, Audiendo audite* &c. Hinc ita argumentantur quidam:

Dominus dixit Esaiæ, *Vade & dicito populo isti*, &c.

Atqui Spiritus S. loquutus est per Esaiam patribus nostris, *Vade ad populum istum*, &c.

E. Spiritus sanctus est Dominus.

Ego verò non possum ita argumentari: quia loco XIII. probavi per Dominum h. l. intelligendum Filium, adeoque non Spiritum S. fuit enim detestanda Sabellii hæresis, dicere eundem Patrem, Filium & Spiritum S. quamobrem potius ita argumentor:

Domini vox dixit Esaiæ, *Vade & dicito populo isti*, &c.

Atqui Spiritus sanctus dixit patribus nostris per Esaiam, *Vade ad populum istum*, &c.

E. Spiritus sanctus est Domini vox.

Fateor tamen levem esse aliquam differentiam in eo quod, *Domini vox dixit Esaiæ, ut diceret populo*, i. e. *patribus nostris*, & deinde *Esaias per Spiritum sanctum dixit populo*, i. e. *patribus nostris*, & tandem *Esaïas per Spiri-*

tum S. ſacris literis conſignavit, ut populus, i. e. *patres noſtri legerent.* Ex quibus hoc poſtremum videtur magis propriè ſignificari: quia quando loquutus eſt populo, non potuit dicere, *Vade ad populum iſtum & dic.* Sed hæc differentia non eſt tanti momenti, ut deſtruat vim noſtri argumenti, quo Spiritum ſanctum probamus eſſe ſummum Deum.

XXIII. Quartò ex 1 Cor. II. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* Hinc ita argumentor:

Quicunque omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei, ille omnia ſcit, adeoque eſt *omniſcius* atque Deus altiſſimus, quia *Omniſcientia* eſt attributum ſoli Deo proprium.

Atqui Spiritus S. omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.

E. Spiritus S. omnia ſcit, adeoque eſt omniſcius ac Deus altiſſimus.

XXIV. Quintò ex attributo *Omnipotentiæ* Filio tributo ita ratiocinatur D. Scherzerus Colleg. Anti-Socin. diſp. 21. Antith. Cathol. II. א. (ε.) p. 182.

Cuicunque attribuitur omnipotentia ille eſt ſummus Deus.

Spiritui ſancto attribuitur Omnipotentia, Matth. XII. 28. *Sin autem per Spiritum Dei ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.* Lucæ XI. 20. *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.* Act. X. 38.

Ut Iesum Nazarenum unxerit Deus Spiritu sancto & virtute, qui obambulavit beneficiis afficiens, & sanans omnes sub diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo.

E. Spiritus sanctus est summus Deus.

His itaque argumentis probavimus Filii, Spiritusque sancti summam Deitatem, & SS. Trinitatis consubstantialitatem, coæqualitatem, coæternitatem. Nunc reliquum est ut respondeamus ad omnia ea argumenta, quæ Sociniani & Ariani in favorem suæ hæreseos producunt. Ea diligenter congesta sunt in libro Crellii de Uno Deo Patre, quocirca istum saltem librum examinabimus, additis paucis argumentis, quæ in aliis inveniuntur.

Patrem Domini nostri Jesu Christi esse unum & solum illum verum altissimumque Deum probare volunt

Primò, ex Matth. XXIV. 36. & Marci XIII. 23. *De die illo ac horâ nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater:* vel ut in Matthæo legitur; *sed Pater meus solus.* Sed ad hunc locum postea *respondebimus.*

Secundò, ex Joh. V. 41. 43. 44. Joh. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te,* Pater, *solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ego scio quosdam respondere, Christum hic humilitatis virtute motum irreverenter de se loqui, ut Patris sui majestatem altiùs eveheret. Verùm ego potius

tius *Resp.* hic per verum Deum intelligi, qui nullius eſt imago, quo ſenſu veritas imagini opponi ſolet, vel Deum à ſe. Et hoc ſenſu ſolus Pater eſt Deus verus, quia ille ſolus eſt Deus à ſe, & Fons Deitatis omnis. Filius eſt Deus à Patre, Spiritus S. eſt Deus à Patre & Filio: Solus quoque Deus Pater nullius eſt imago. Filius eſt imago Patris inviſibilis, qui tamen alio ſenſu verus Deus etiam eſt, & dici videtur 1 Joh. V. 20. (licet ille locus etiam aliter exponi poſſit,) quatenus ibi opponitur Deus verus idolis diiſque falſis. Hoc ſanè ſenſu nihil frequentius in operibus Patrum Ante- & Poſt-Nicænorum, quàm *Deus, Filius & Spiritus ſanctus.* Hilarius lib. 3 de Trinit. dicit *ſolum Patrem eſſe unum verum Deum.* Auguſtinus de C. D. lib. 5. cap. 11. *Deus ſummus & verus cum Verbo ſuo & Spiritu S.* Rupertus Tuitienſis lib. 12 Comment. in Joh. *Quod eſt nomen Dei, niſi Pater Ieſu Chriſti?* Nicolaus de Cuſa Cardin. lib. 1 Cribrat. Alcorani, cap. 11. *Chriſtus Dei Filium ſe nominavit, & non Deum: cum nominatio Dei ſit nominatio Patris Chriſti.*

Tertiò, 1 Cor. VIII. 4. 5. 6. *Scimus nullum eſſe Deum alium niſi unum, nam etiamſi ſint qui dicantur dii & in cœlo & in terra; (ſicut ſunt dii multi, & domini multi.) Nobis tamen unus eſt Deus Pater ille, à quo omnia & nos in ipſum: & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum. Reſp.* Sicut nil obſtat quominus Pater ſit Dominus, quòd Jeſus

Jesus Christus dicatur unus Dominus, ita nihil obstat quò minus Jesus Christus sit Deus, quòd Pater dicatur unus Deus.

Quartò, 1 Cor. XII. 4. 5. 6. *Divisiones donorum sunt, sed idem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & divisiones operationum sunt, sed idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus. Resp.* Sicut Pater est Deus, Dominus & Spiritus; ita & Filius est Deus, Dominus & Spiritus; & Spiritus sanctus est Deus, Dominus & Spiritus.

Quintò, 2 Cor. XIII. 13. *Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Resp.* eodem modo, quo ad duo præcedentia loca *respondi*, ut & ad locum petitum

Sextò, ex Ephes. IV. 4, 5. 6. *Unum est corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.*

Septimò, 1 Tim. VI. 15. 16. *Adventum Domini nostri Iesu Christi temporibus suis ostendet ille beatus & solus Princeps, Rex regum, & Dominus dominorum, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, neque videre potest. Resp.* Quoniam absurdum est secundùm Arianos & Socinianos ipsos, Filium non esse Principem, eundemque ut & Spiritum sanctum habere immortalitatem, Christo ipso dicente

se

ſe eſſe vitam, & *ſe habere vitam in ſemetipſo*: utique locum hunc ita limito: *Qui ſolus eſt Princeps à ſe, qui ſolus habet immortalitatem à ſe, & à nemine ſibi communicatam.* Et hæc ſunt argumenta validiſſima, (leviora enim ſtudio prætereo,) quibus adverſarii conantur probare Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe unum ſolum illum verum altiſſimumque Deum.

Nunc porrò videamus, quibus argumentis annitantur probare, Filium non eſſe ipſum Deum qui eſt ſuper omnia; primò autem argumenta verbis ipſorum adverſariorum proponemus, deinde reſponſionem noſtram ſubnectemus.

I. Filius dicitur creatus, ſeu factus: Prov. VIII. 22. Ecci I. 4, 8, 12. XXIV. 12. Sap. VI. 22, 23. Eſai. XLV. 8. Hierem. XXXI. 22. Pſalm. CXVII. 23. Joh. I. 15, 30. Hebr. III. 1, 2. Coloſſ. I. 15. & ex Joann. XV. 1, 2. *Ego ſum vitis illa vera, & Pater meus agricola eſt*, Dionyſius Alexandrinus olim probabat, Filium non eſſe unius eſſentiæ cum Patre: quemadmodum & Numenius de Bono ſcribit: *Mentem ſe habere ad primum Deum, ut ea quæ plantantur ad agricolam. Reſp.* ad locum Prov. VIII. 22. *Dominus creavit me* (inquit Sapientia) *in initio viarum ſuarum*: quidam contendunt legendum, *Dominus poſſedit me*; ſed rectè Sandius probavit, priorem lectionem eſſe veriorem, ad quem lectorem remitto. Certè eandem phraſin lego Eccli. I. 4.

Prima

Prima omnium creata est Sapientia. vers 8. *ipse creavit eam in Spiritu sancto.* Conf. vers. 12. & XXIV. 12. introducitur Sapientia dicens: *Omnium conditor, qui me creavit,* &c. & vers. 14. *Is me ante ævum principio creavit.* Sapient. VI. 22, 23. *Quid sit Sapientia, & quomodo* (ἐγένετο) *facta sit annunciabo. Non occultabo vobis mysteria, sed ab initio* γενέσεως *investigabo.* Novi quidem hos libros haberi pro apocryphis; sed propterea non sunt hæretici, qui in idem volumen cum libris divinis Canonicis solent compingi, & Hagiographa, i. e. sancta scripta vocantur, indigni aliàs hoc honore & titulo, si hæretici essent, vel hæreticis saltem faverent. Quid? quod & Esaiæ XLV. 8. scriptum, *Exultent cœli desuper, & nubes induant justitiam, aperiatur terra & pullulet Salvatorem. Ego enim Dominus Deus creavi eum.* Ubi addit Lactantius IV. 12. *Salvator verò est* (*ut supra diximus*) *Iesus.* Hierem. XXXI. 22. *Creavit Dominus salutem.* Psalm. CXVII. 23. *Iste est dies quem fecit Dominus.* Hebr. III. 1, 2. *Iesus Christus fidelis fuit ei qui fecit ipsum.* Coloss. I. 15. *Filius* dicitur *primogenitus omnis creaturæ.* Theodoretus autem ex Eusebio Emeseno, *Primogenitum*, inquit, *ex mortuis Dominum Christum beatus Paulus appellavit. Primogenitus autem habet utique eandem naturam cum illis quorum est primogenitus.* Confer Apoc. III. 14. ubi Filius dicitur *principium creationis Dei.* Qui verò se putant difficulta-

tem

tem effugere in loco Proverb. VIII. 22. quando legunt, *Dominus possedit me*, adeò falluntur, ut potiùs irrefutabile Arianis administrent argumentum, *Filium esse minorem Patre*: quando Philo de plantat. Noæ scribit: *quanto poßidens possesionem possesione melior, & qui fecit eo quod factum est, tanto principaliores illi.* Verùm in vocibus *facere*, *creare* & *creaturæ* nulla omnino est difficultas, nullum periculum: & saltem nego ex iis sequi, Filium non esse genitum ex substantia Patris, sed productum ex nihilo. Nam veteres Patres, antequam procella Ariana mota fuisset, *creaturam* vocabant quamvis productionem, sive *genitam* ex substantia gignentis, sive *creatam* ex nihilo vel ex substantia aliena; & *facere* sive *creare* dicebant etiam de iis quæ gignebantur ex substantiâ gignentis. Imò Græci & Latini primi nullo verbo actionem, quam impossibilem credebant, & de quâ nullus conceptus in mentem eorum venerat, expresserunt. Quandoquidem ergò credebant isti, vel mundum, vel (ut saniores) materiam fuisse sine principio, adeoque nihil ex nihilo factum esse, imò ex nihilo nihil fieri posse sentiebant, utique verba κτίζειν, *creare*, non potuerunt apud ipsos habere significationem productionis ex nihilo. Ita ante Arium tutò, orthodoxè & pio sensu veteres *Filium* dicebant *factum*, *creatum* & *creaturam.* Sed postquam Arius exortus ita dicebat *Filium factum*; *creatum* & *creaturam*, ut
non

non secus ac alias creaturas *ex nihilo productum* prædicaret: in Concilio Nicæno fuit condemnata sententia ista, decretumque fuit distinctionis gratiâ sententiæ Catholicæ ab hæresi, Fllium non *factum* esse, nec *creatum* vel *creaturam*, sed *genitum*. Tum verò non licitum fuit amplius dicere Filium *factum*, *creatum* & *creaturam*, & qui eum ita vocarent, hæretici audiebant. Jam probabo τὸ *facere* & *creare* etiam dici de rebus generatis ex substantiâ generantis: & quod ad τὸ *facere* attinet, en Jerem. XV 2. ὀ μὴ λάβῃς γυναῖκα, οὐδ' οὐ μὴ ποιήσῃς τέκνα: *Non accipias mulierem, neque facias liberos.* Ita *facere filios* legas apud Tertullianum & alios. Quod verò attinet ad τὸ *creare*, audi Virum Clarissimum ac eruditissimum Huetium, scribentem Not. in Orig. Matth. *Eodem hæc* (ἐκτήσατο & ἔκτισε) *recidunt, nam* קנה *significat* possidere & generare. *Ea enim optimo poßidemus jure, quæ genuimus. Sic Genes. IV.* 1. Peperit Eva Cainum, & dixit קניתי, Possedi hominem à Domino: *id est, peperi, genui. Generatio autem creatio quædam est, unde* liberos procreare *parentes dicuntur.* Virgilius Æn. lib. 10.

——— Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes. ———

i.e. genitos. Cicero lib. 1 *de Republ.* Quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quàm is, qui, ut ajunt, creaverit. *Similis occurrit permutatio in*

Psalm.

Psalm. CIII. 24. *Theodoretus:* ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτίσεώς σου. οἱ δὲ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, κτίσεως, τεθείκασιν. Hæc Huetius. Ubi ad ea quibus probatur τὸ קנה etiam in significatione *creandi* accipi, addi velim Deuter. XXXII. 6. *Nonne iste ipse est Pater tuus, qui possedit & fecit & creavit te?* & LXX. οὐκ αὐτὸς οὗτός σου πατὴρ ἐκτήσατό σε, καὶ ἐποίησέ σε, καὶ ἔπλασέ σε. Quæ verba interpres in Job. (Origeni adscript. Comment.) ita reddidit: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit & creavit & formavit te?* Et Interpres vetus Origenis illud in tomo 14 in Matth. Elcana, θεοῦ κτῆσις, reddidit *Dei creatura.* Ad ea verò quibus probat *generationem* esse etiam creationem, addi velim istud ex Virgil. 10 Æneïd.

Sylvicolæ Fauno Dryope quem Nympha
creârat.

Et Augustin. 5. Tract. in Joann. *Quomodo creavit Mariam, & creatus est per Mariam, sic baptismum dedit Ioanni & baptisatus est à Ioanne.* Inde evenit, ut Meletius apud Epiph. hær. 73. *Christum* etiam *creaturam* diceret secundùm divinitatem: & Hieronymus in cap. 2 Ephes. *Quia*, inquit, *semel ad nomen creaturæ venimus: & Sapientia in Proverbiis Salomonis dicit se creatam initium viarum Dei: multique timore ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant: ut dicant, non Christum in hac sapientia, sed mundi sapientiam significari. Nos liberè pro-*

I cla-

clamamus non esse periculum eum dicere creaturam, &c. Hinc concludo Filium quidem secundùm Veterum loquendi modum dici posse *factum*, *creatum* & *creaturam*, ceu *Filium Dei productum seu genitum ex substantiâ Patris*: non posse autem ex locis allegatis probari, eum cæteris creaturis in eo similem, quod ipse etiam, ut aliæ creaturæ ex nihilo productus esset; sed simpliciter probari eum *productum* esse, quod nos non negamus: & quòd vox *creavit* Proverb. VIII. 22. de generatione intelligenda sit, probatur, quia paullò pòst Sapientia de se dicit, *genita sum*, & David Psalm. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod verò ad locum Joh. I. 15, 30. *Ante me factus est*, attinet, speciatim *Resp*. Vulgatam tantùm ita legere, in textu verò originali haberi, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, i. e. *ante me fuit*.

II. Filius habet Deum: Joh. XX. 17. Psalm. XVII. 2. XXI. 1, 2. XLV. 9. Mich. V. 3. Matth. IV. 7, 10. XXVII. 46. Marci XV. 34. Eph. I. 17. Ebr. I. 9. Apoc. III. 12. Deum autem alicujus esse est imperium & potestatem in eum habere, vel ejus esse benefactorem, vel ab eo ceu summum Deum aut benefactorem coli. *Resp*. Filius habet Deum secundùm humanam naturam, vel quatenus est persona, aut Filius, non verò secundùm illam naturam, juxta quam est æqualis Patri.

III. Christi caput est Deus 1 Cor. XI. 3.

i. e.

i. e. Deus Pater. *Resp.* Pater est caput Christi, quatenus est Fons Deitatis.

IV. 1 Cor. III. ult. Christus est Dei, sic ut à Deo possideatur, in ejusque potestate sit, nam sic nos sumus Christi. *Resp.* Quando Christus Dei dicitur, subintelligitur Filius vel Christus. De cætero viderint illi, qui Proverb. VIII. 23. legunt: *Dominus possedit me*, quomodo respondeant.

V. 1 Cor. XV. 24, 28. Christus regnum Deo & Patri suo traditurus dicitur illud deponendo, & jus ad imperandum abdicando, tandem subjiciendus & ipse Patri. *Resp.* Hic locus ita exponendus est, ne pugnet cum verbis Angeli Gabrielis ad Mariam Lucæ I. 33. *Regnabit super domum Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis*: & Dan. VII. 14. *Dominatus ejus est dominatus æternus, qui non præteribit, cujusque regnum haudquaquam destruetur.*

VI. 1 Tim. II. 5. Christus dicitur Mediator Dei & hominum. Ebr. VII. 22. VIII. 6. XII. 24. *Mediator fœderis novi aut melioris*: ut qui medius intervenerit inter Deum & homines ad fœdus inter illos feriendum, horumque sponsor fuerit. Si autem Christus esset summus Deus, unius ejusdemque numero cum Patre essentiæ, utique hominum & sui ipsius foret mediator, quod absurdum & impossibile. *Resp.* Catholici non negant Filium ratione mediatorii officii minorem esse Patre.

VII. Psalm.CX.4. Ebr.II. 17. V.5.6.10. VII. VIII. IX. Christus dicitur Sacerdos seu Pontifex. Sacerdotis autem est sacrarii ministrum esse, Ebr. VIII. 2. caussam hominum agere apud Deum, II.17. pro illis Deo offerre. V.7. VIII. 3. IX.X. interpellare, VII. 24. & coram vultu Dei comparere, IX. 24. *Resp.* Quantum ego quidem scio, Ecclesia Catholica non negat Filium esse minorem Patre ratione principii, quatenus Filius est, (Pater verò ingenitus,) & quatenus Mediator & Sacerdos. Unde rectè Franc. Iunius Anti-Bellarm. contr. 2. lib. 5. cap. 5. anim. 20 —— 26. *Divinitatem Filii personalem esse sacerdotem, & Filium Dei (in persona sua) quantus quantus est, esse ministrum & sacerdotem Patris: &, quia omnis sacerdos est minor eo cujus est sacerdos, ideo etiam personam Filii esse Patre minorem & inferiorem, & inservire Patri, consilio Oeconomico & ministerio voluntario.*

VIII. Si Christus Deus ille summus esset, ejus resurrectio ipsimet, tanquam vero ac præcipuo autori adscribenda esset. Atqui nón ipsi, sed Patri, tanquam vero ac præcipuo autori tribuitur, imò Christum propriè loquendo se ipsum non resuscitâsse, apertè significatur, Gal. I. 1. Act. III. 26. XIII. 32, 33, 34. Ephes. I. 20. & in his locis Deus Pater dicitur excitasse Filium suum Iesum Christum à mortuis: de Deo idem dicitur 1 Thess. I. 10. Actor. II. 24, 32. III. 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XVII. 31. Rom. IV. 24. VIII. 11.

X. 9.

X. 9. 1 Cor. VI. 14. XV. 15. 2 Cor. IV. 14. XIII. 4. Eph. II. 5. Col. II. 12. Ebr. XIII. 20. 1 Pet. I. 21. Adde quòd Christus sæpissimè resuscitatus dicatur, scil. ab alio, testibus locorum aliquorum circumstantiis, 1 Cor. XV. 4. 12—17. *Resp.* Sicut à non esse ad non posse non valet consequentia, ita ab eo quòd Filius non excitavit se ipsum à mortuis, sed Deus Pater, non sequitur Filium se ipsum nòn potuisse excitare à mortuis, contrarium tradente ipso Filio, quando dicit Joh. X. 17, 18. *Ego pono animam meam, ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Imò de actu ipso Christus dicit, Joh. II. 19. *Destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.* Ita ergò explicandi sunt priores loci, ne hos destruant.

IX. Coloss. I. 15. 2 Cor. IV. 4. Ebr. I. 3. Christus imago Dei invisibilis dicitur, non est itaque ipse invisibilis, qui est Deus Pater 1 Tim. I. 17. Ioh. I. 18. 1 Tim. VI. 16. Oportet enim Deum, quem per seipsum cognoscere nequimus, in Christo ceu imagine videamus. Si verò ipse non minus quàm Deus invisibilis foret, aliâ imagine ad Dei notitiam opus haberet. Adde quòd nec ulla imago ejusdem numero essentiæ sit cum eo cujus est imago: aliàs sui ipsius foret imago. *Resp.* Absit dicere divinam Christi naturam à nobis mortalibus esse visibilem, cùm nec

creaturas ejus angelos, nec corpus ipsum, cujusmodi est aër, videre queamus; sed ideo Christus dicitur imago Dei Patris, quia in omnibus illi similis est. Aeòque sicut visibilis rei visibilis est imago, ut Filius Patris in humanis dici potest imago, qui eandem essentiam cum Patre habet, ita & rei invisibilis invisibilis potest esse imago. Nolim enim sentire cum Bysterfeldio, qui contra Crellium lib. 1. sect. 2. cap. 30. scribit: *Christus & ratione naturæ suæ divinæ, & ratione naturæ humanæ fuit visibilis. —— Christus imago quoque visibilis fuit quatenus Deus fuit, & quidem antequam homo esset. Nam Deus Pater non tantùm nobis hominibus, sed etiam angelis suâ naturâ est invisibilis. Ostendamus igitur, Christum etiam in Veteri Testamento, quà Deus est, fuisse visibilem Patris imaginem.* Nescio quâ ratione Bysterfeldius dicere potuerit Filium & Patrem habere unam numero naturam divinam, quæ in Patre esset invisibilis, in Filio visibilis. Præterea Reformati probant panem eucharisticum non transsubstantiari in ipsum corpus Domini, quod in cruce pependit; quia imago dicitur, imago autem non est res ipsa, cujus est imago. Vide Larroque Historiam Eucharistiæ. Ita & nos dicimus: Filius est imago Patris, & propterea Filius non est Pater, neque Pater Filius; si aliter loqueremur, cum Sabellio sentiremus, qui prædicabat eundem esse Patrem & Filium. Nos verò hypostases utriusque meritò distinguimus.

X. Dia-

X. Diabolus Christum tentavit ad peccandum Matth. IV. quòd non fecisset, si cognovisset eum esse Deum summum, tum quia ad Majestatis divinæ conspectum contremiscit, tum quia bene novit summum Deum absolutè peccare non posse, adeoque suam tentationem necessariò irritam fore. Cognovit autem Diabolus, qualis quantus esset quem tentaret, quód fusè probavit Sandius h. l. *Resp.* Hoc argumento tantùm probatur Diabolum esse spiritum impudentissimum, audacissimum & maximè temerarium.

XI. Marci XIII. 32. Christus apertè dicit, Filium ignorare diem horamque judicii, sed scire solum Patrem suum, Matth. XXIV. 36. *Resp.* Quidam dicunt 1. Christum nescivisse secundùm naturam humanam. At illi se implicant hæresi Agnoïtarum, de quibus plurimi historici scribunt, eos asseruisse Filii humanitatem ignorare diem judicii, ut & hæresi Felicianorum, quorum autorem Felicem Urgellitanum Alcuinus lib. 5 adversus eundem ita alloquitur: *Tandemque illuc pervenisti, ubi de die ultimi examinis idem Dominus loquitur: cujus diei cognitionem Christo, in quantum homo est, denegare laboras, ut ex tuis verbis agnosci potest:* & Agobardus lib. contra Felicem cap. 5. scribit eum docuisse, *Dominum nostrum Iesum Christum, secundùm carnem veraciter nescîsse sepulchrum Lazari, cùm diceret sororibus ejus,* Ubi posuistis eum?

& veraciter ignorare diem judicii, veraciter etiam ignorâsse quid conferretur à duobus discipulis ambulantibus in via, de his quæ facta fuerant in Hierusalem, veraciter quoque ignorasse utrum plus diligeretur à Petro, quàm ab aliis discipulis, cùm diceret, Simon Petre amas me plus his? Verba ipsa Felicis sunt: *Ipse est enim, qui secundum præscientiam Deitatis diem judicii per Prophetam prædixit. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Ipse nihilominus est propter humanitatis naturam, qui in Euangelio secundum Marcum protestatur: De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius, nisi pater solus.* Et omnino hi cum Nestorio sapiebant, duas in Christo statuentes personas, quarum divinam, s. Deum scire dicebant; humanam, s. hominem nescire. Nam revera ubi duo sunt intellectus, duæ sunt personæ. Quamobrem rectè Concilium Alexandr. contra Nestorium habitum, anath. 4. anathema illis dixit, qui alias quidem voces in Euangelicis & Apostolicis scripturis passim occurrentes, homini seorsim à Dei Verbo considerato adscriberent, alias verò tanquam in divinam Majestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodarent. Et propterea ego non libenter utor in his Responsionibus meis distinctione inter divinam & humanam naturam, idque eo minus, quia Christus in plerisque locis loquitur ceu persona, humana autem natura in Christo non est

est persona. At quod Patres nostri Felicem Urgellitanum propterea ceu hæreticum condemnârunt, quod is doceret *Christum esse filium adoptivum secundùm humanam naturam*, multi Catholici mecum mirantur, quandoquidem 1. Christus secundùm humanam naturam fuit creatura, & minimè genitus ex substantiâ Patris. 2. Symbolum Antioch. ait, Filium esse consubstantialem Deo Patri secundùm divinitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem. 3. quia hæresis Sabellii & Samosateni fuit, Filium Patri corporaliter dicere consubstantialem. Sed quia Confessio Augustana tantùm quatuor Symbola Oecumenica agnoscit, & nondum inter orthodoxos determinatum est, utrum Felix Urgellitanus ratione istius sententiæ meritò à Concilio Francofordiensi fuerit condemnatus, integrum mihi puto esse interea cum Felice Urgellitano sentire. Vide Sandii Interpr. Paradox. in Matth. XXIV. 36. ex quibus pleraque omnia excerpsi. Alii dicunt 2. Christum se ideo id dixisse nescire, quia Apostolos nescire voluerit. Verùm hi implicitè dicunt Christum mentitum, contradicuntque D. Marco, imò veritati ipsi, sanctissimo Domino Salvatori: periculum autem est, ne, qui non veretur cum Petro dicere: *Propitius tibi sis Domine, nequaquam accidet tibi hoc*, audiat aliquando Dominum objurgantem: *Vade post me Satana, scandalo es mihi, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.*

Verbum in carne. Ita loquuntur Tertullianus, Autor libri de Trinitate, Hippolytus martyr & Origenes. Vide Euseb. lib. 5. Eccles. Theol. cap. 7. & hist. I. 14. ubi D. Thomas de Christo dicit: ὅτι ἐσμίκρυνεν αὐτοῦ τὴν θεότητα, *diminuit suam deitatem.* Et Hieronymus cap. 5. lib. 3 ad Galat. ait ipsum *Verbum Dei esse exinanitum.* Nazianzenus vocat τὴν κενωθεῖσαν θεότητα, *evacuatam deitatem.* Passibilis factus est propter nos, ut ait Ignatius epist. ad Polycarp. & mortalis, ut Tertullianus loquitur, & actu ipso pro nobis passus & mortuus est. Cuicunque hæc dura videantur, is cogitet *Christum pro nobis factum esse vermem, peccatum & maledictum,* & desinet in mysteriis inenarrabilibus plus sapere, quàm Spiritus sanctus nos sapere voluit.

XII. Matth. XX. 23. dicit Christus non esse in sua potestate decernere, quinam in regno suo ad dextram, quinam ad sinistram sedeant: hoc enim illis deberi, quibus à Patre id destinatum, cujus decreta Christus rescindere nequeat. *Resp.* Quando divina natura fuit exinanita seu evacuata momento ipso incarnationis, adeoque angelis minor facta, salvâ manente essentiâ seu naturâ, qualitates divinæ ad modicum tempus fuere depositæ. Cur ergò non dicamus Christi divinam essentiam se ultrò & spontaneè seu voluntariè vacuam vel inanem reddidisse Omnipotentiæ, non solùm ut minor angelis, sed & nobis in omnibus similis fieret excepto peccato, & ut

VII. Psalm.CX.4. Ebr.II. 17. V.5.6.10. VII. VIII. IX. Christus dicitur Sacerdos seu Pontifex. Sacerdotis autem est sacrarii ministrum esse, Ebr. VIII. 2. caussam hominum agere apud Deum, II.17. pro illis Deo offerre. V.7. VIII. 3. IX.X. interpellare, VII. 24. & coram vultu Dei comparere, IX. 24. *Resp.* Quantum ego quidem scio, Ecclesia Catholica non negat Filium esse minorem Patre ratione principii, quatenus Filius est, (Pater verò ingenitus,) & quatenus Mediator & Sacerdos. Unde rectè Franc. Iunius Anti-Bellarm. contr. 2. lib. 5. cap. 5. anim. 20 —— 26. *Divinitatem Filii personalem esse sacerdotem, & Filium Dei (in persona sua) quantus quantus est, esse ministrum & sacerdotem Patris: &, quia omnis sacerdos est minor eo cujus est sacerdos, ideo etiam personam Filii esse Patre minorem & inferiorem, & inservire Patri, consilio Oeconomico & ministerio voluntario.*

VIII. Si Christus Deus ille summus esset, ejus resurrectio ipsimet, tanquam vero ac præcipuo autori adscribenda esset. Atqui nón ipsi, sed Patri, tanquam vero ac præcipuo autori tribuitur, imò Christum propriè loquendo se ipsum non resuscitâsse, apertè significatur, Gal. I. 1. Act. III. 26. XIII. 32, 33, 34. Ephes. I. 20. & in his locis Deus Pater dicitur excitasse Filium suum Iesum Christum à mortuis: de Deo idem dicitur 1 Thess. I. 10. Actor. II. 24, 32. III. 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XVII. 31. Rom. IV. 24. VIII. 11. X. 9.

X. 9. 1 Cor. VI. 14. XV. 15. 2 Cor. IV. 14. XIII. 4. Eph. II. 5. Col. II. 12. Ebr. XIII. 20. 1 Pet. I. 21. Adde quòd Christus sæpissimè resuscitatus dicatur, scil. ab alio, testibus locorum aliquorum circumstantiis, 1 Cor. XV. 4. 12 — 17. *Resp.* Sicut à non esse ad non posse non valet consequentia, ita ab eo quòd Filius non excitavit se ipsum à mortuis, sed Deus Pater, non sequitur Filium se ipsum nòn potuisse excitare à mortuis, contrarium tradente ipso Filio, quando dicit Joh. X. 17, 18. *Ego pono animam meam, ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Imò de actu ipso Christus dicit, Joh. II. 19. *Destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.* Ita ergò explicandi sunt priores loci, ne hos destruant.

IX. Coloss. I. 15. 2 Cor. IV. 4. Ebr. I. 3. Christus imago Dei invisibilis dicitur, non est itaque ipse invisibilis, qui est Deus Pater 1 Tim. I. 17. Joh. I. 18. 1 Tim. VI. 16. Oportet enim Deum, quem per seipsum cognoscere nequimus, in Christo ceu imagine videamus. Si verò ipse non minus quàm Deus invisibilis foret, aliâ imagine ad Dei notitiam opus haberet. Adde quòd nec ulla imago ejusdem numero essentiæ sit cum eo cujus est imago: aliàs sui ipsius foret imago. *Resp.* Absit dicere divinam Christi naturam à nobis mortalibus esse visibilem, cùm nec

creaturas ejus angelos, nec corpus ipsum, cujusmodi est aër, videre queamus; sed ideo Christus dicitur imago Dei Patris, quia in omnibus illi similis est. Acòque sicut visibilis rei visibilis est imago, ut Filius Patris in humanis dici potest imago, qui eandem essentiam cum Patre habet, ita & rei invisibilis invisibilis potest esse imago. Nolim enim sentire cum Bysterfeldio, qui contra Crellium lib. 1. sect. 2. cap. 30. scribit: *Christus & ratione naturæ suæ divinæ, & ratione naturæ humanæ fuit visibilis. —— Christus imago quoque visibilis fuit quatenus Deus fuit, & quidem antequam homo esset. Nam Deus Pater non tantùm nobis hominibus, sed etiam angelis suâ naturâ est invisibilis. Ostendamus igitur, Christum etiam in Veteri Testamento, quà Deus est, fuisse visibilem Patris imaginem.* Nescio quâ ratione Bysterfeldius dicere potuerit Filium & Patrem habere unam numero naturam divinam, quæ in Patre esset invisibilis, in Filio visibilis. Præterea Reformati probant panem eucharisticum non transsubstantiari in ipsum corpus Domini, quod in cruce pependit; quia imago dicitur, imago autem non est res ipsa, cujus est imago. Vide Larroque Historiam Eucharistiæ. Ita & nos dicimus: Filius est imago Patris, & propterea Filius non est Pater, neque Pater Filius; si aliter loqueremur, cum Sabellio sentiremus, qui prædicabat eundem esse Patrem & Filium. Nos verò hypostases utriusque meritò distinguimus. X. Dia-

X. Diabolus Christum tentavit ad peccandum Matth. IV. quòd non fecisset, si cognovisset eum esse Deum summum, tum quia ad Majestatis divinæ conspectum contremiscit, tum quia bene novit summum Deum absolutè peccare non posse, adeoque suam tentationem necessariò irritam fore. Cognovit autem Diabolus, qualis quantus esset quem tentaret, quód fusè probavit Sandius h. l. *Resp.* Hoc argumento tantùm probatur Diabolum esse spiritum impudentissimum, audacissimum & maximè temerarium.

XI. Marci XIII. 32. Christus apertè dicit, Filium ignorare diem horamque judicii, sed scire solum Patrem suum, Matth. XXIV. 36. *Resp.* Quidam dicunt 1. Christum nescivisse secundùm naturam humanam. At illi se implicant hæresi Agnoïtarum, de quibus plurimi historici scribunt, eos asseruisse Filii humanitatem ignorare diem judicii, ut & hæresi Felicianorum, quorum autorem Felicem Urgellitanum Alcuinus lib. 5 adversus eundem ita alloquitur: *Tandemque illuc pervenisti, ubi de die ultimi examinis idem Dominus loquitur: cujus diei cognitionem Christo, in quantum homo est, denegare laboras, ut ex tuis verbis agnosci potest:* & Agobardus lib. contra Felicem cap. 5. scribit eum docuisse, *Dominum nostrum Iesum Christum, secundùm carnem veraciter nescîsse sepulchrum Lazari, cùm diceret sororibus ejus,* Ubi posuistis eum?

& veraciter ignorare diem judicii, veraciter etiam ignorâsse quid conferretur à duobus discipulis ambulantibus in via, de his quæ facta fuerant in Hierusalem, veraciter quoque ignorasse utrum plus diligeretur à Petro, quàm ab aliis discipulis, cùm diceret, Simon Petre amas me plus his? Verba ipsa Felicis sunt: *Ipse est enim, qui secundum præscientiam Deitatis diem judicii per Prophetam prædixit. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Ipse nihilominus est propter humanitatis naturam, qui in Euangelio secundum Marcum protestatur: De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius, nisi pater solus.* Et omnino hi cum Nestorio sapiebant, duas in Christo statuentes personas, quarum divinam, s. Deum scire dicebant; humanam, s. hominem nescire. Nam revera ubi duo sunt intellectus, duæ sunt personæ. Quamobrem rectè Concilium Alexandr. contra Nestorium habitum, anath. 4. anathema illis dixit, qui alias quidem voces in Euangelicis & Apostolicis scripturis passim occurrentes, homini seorsim à Dei Verbo considerato adscriberent, alias verò tanquam in divinam Majestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodarent. Et propterea ego non libenter utor in his Responsionibus meis distinctione inter divinam & humanam naturam, idque eo minus, quia Christus in plerisque locis loquitur ceu persona, humana autem natura in Christo non

est

est persona. At quod Patres nostri Felicem Urgellitanum propterea ceu hæreticum condemnârunt, quod is doceret *Christum esse filium adoptivum secundùm humanam naturam*, multi Catholici mecum mirantur, quandoquidem 1. Christus secundùm humanam naturam fuit creatura, & minimè genitus ex substantiâ Patris. 2. Symbolum Antioch. ait, Filium esse consubstantialem Deo Patri secundùm divinitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem. 3. quia hæresis Sabellii & Samosateni fuit, Filium Patri corporaliter dicere consubstantialem. Sed quia Confessio Augustana tantùm quatuor Symbola Oecumenica agnoscit, & nondum inter orthodoxos determinatum est, utrum Felix Urgellitanus ratione istius sententiæ meritò à Concilio Francofordiensi fuerit condemnatus, integrum mihi puto esse interea cum Felice Urgellitano sentire. Vide Sandii Interpr. Paradox. in Matth. XXIV. 36. ex quibus pleraque omnia excerpsi. Alii dicunt 2. Christum se ideo id dixisse nescire, quia Apostolos nescire voluerit. Verùm hi implicitè dicunt Christum mentitum, contradicuntque D. Marco, imò veritati ipsi, sanctissimo Domino Salvatori: periculum autem est, ne, qui non veretur cum Petro dicere: *Propitius tibi sis Domine, nequaquam accidet tibi hoc*, audiat aliquando Dominum objurgantem: *Vade post me Satana, scandalo es mihi, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.*

3. Ego piè & ſimpliciter fidem adhibeo verbis Chriſti, quoniam ipſe eſt veritas & mentiri nequit; ſi verò me decepit, quòd tamen fieri nequit, bene deceptus ſum. Novi Theologorum axioma eſſe: *ubicunque* Filius hominis *in ſacris dicitur, denotari naturam humanam*, Filium *autem abſolutè dictum denotare naturam divinam.* Hic verò Filius abſolutè dicitur, nec video quid obſtet quo minus Filius θεάνθρωπος tum temporis verè ignoraverit diem, horamque judicii. Lego enim divinam naturam fuiſſe exinanitam ſeu evacuatam, & minorem factam angelis ad modicum tempus: quod de humana natura dici nequit, quæ perfectiſſima fuit, & tamen ſemper minor angelis. Si itaque evacuata eſt divina natura, eſſentiâ ſalvâ permanente, qualitates ſunt evacuatæ. Cur ergò non dicamus Chriſtum depoſuiſſe ad tempus ſcientiam ſuam, ut minor Angelis fieret, & ut nobis in omnibus ſimilis fieret excepto peccato, & ut ignorans naſceretur ſicut infantes? Rectiſſimè ergò ſcribit Franciſcus Junius contra Bellarm. contr. 4. lib. 5. cap. 3. obſ. 13. *Perſona divina ſeſe inanivit ſe ipſam voluntariè, & in humanitate aſſumpta facta eſt minor naturaliter.* cap. 4. obſ. 6. *Exinatio perſonæ filii Dei convenit ſecundùm naturam divinam: — atque hæc perſona ſecundùm naturam hanc divinam exinanivit ſeſe (ut loquuntur Orthodoxi Patres.) ——— Non caro ſe exinanivit, ſed Verbum, ſed Sermo: non caro in Verbo, ſed*

Verbum:

Verbum in carne. Ita loquuntur Tertullianus, Autor libri de Trinitate, Hippolytus martyr & Origenes. Vide Euseb. lib. 5. Eccleſ. Theol. cap. 7. & hiſt. l. 14. ubi D. Thomas de Chriſto dicit: ὅτι ἐσμίκρυνεν αὐτοῦ τὴν θεότητα, *diminuit ſuam deitatem.* Et Hieronymus cap. 5. lib. 3 ad Galat. ait ipſum *Verbum Dei eſſe exinanitum.* Nazianzenus vocat τὴν κενωθεῖσαν θεότητα, *evacuatam deitatem.* Paſſibilis factus eſt propter nos, ut ait Ignatius epiſt. ad Polycarp. & mortalis, ut Tertullianus loquitur, & actu ipſo pro nobis paſſus & mortuus eſt. Cuicunque hæc dura videantur, is cogitet *Chriſtum pro nobis factum eſſe vermem, peccatum & maledictum,* & deſinet in myſteriis inenarrabilibus plus ſapere, quàm Spiritus ſanctus nos ſapere voluit.

XII. Matth. XX. 23. dicit Chriſtus non eſſe in ſua poteſtate decernere, quinam in regno ſuo ad dextram, quinam ad ſiniſtram ſedeant: hoc enim illis deberi, quibus à Patre id deſtinatum, cujus decreta Chriſtus reſcindere nequeat. *Reſp.* Quando divina natura fuit exinanita ſeu evacuata momento ipſo incarnationis, adeoque angelis minor facta, ſalvâ manente eſſentiâ ſeu naturâ, qualitates divinæ ad modicum tempus fuere depoſitæ. Cur ergò non dicamus Chriſti divinam eſſentiam ſe ultrò & ſpontaneè ſeu voluntariè vacuam vel inanem reddidiſſe Omnipotentiæ, non ſolùm ut minor angelis, ſed & nobis in omnibus ſimilis fieret excepto peccato, & ut

impotens & infirmus nasceretur sicut infantes, seclusis infirmitatibus, quas morbos dicimus; quæque peccata præsupponunt: qui non secus ac infantes, dicente Apostolo ad Hebræos epist. carnis ac sanguinis particeps factus est. Istam potentiam non secus ac scientiam deinde cum ætate paulatim reassumpsit, secundùm illud Lucæ II. 52. *Iesus autem proficiebat sapientiâ, & statura, ac gratia apud Deum & homines.* Vide loc. præced.

XIII. Christus declinat Matth. XIX. 17. Marci X. 18. Lucæ XVIII. 19. à se titulum *Boni*, tanquam nimium, quem ipsi principum quidam vel tentandi vel adulandi gratiâ tribuerat, addita ratione, quòd nemo sit bonus nisi unus Deus, scil. Pater. *Resp.* Christus solum Deum Patrem dicit bonum κατ' ἐξοχὴν, quia ipse est fons & norma omnis bonitatis. Filius verò cum essentia & bonitatem communicatam accepit à Patre: & sicut non est à se, ita etiam non est bonus à se.

XIV. Christus à Deo creberrimè distinguitur, scil. cum Filius Dei, Verbum Dei, Imago Dei vocatur, cùm in principio apud Deum fuisse, à Deo missus, à Deo egressus esse, panis Dei esse, qui è cœlo descendit, in Dei forma fuisse, ad dextram Dei aut potentiæ Dei consedisse, à Deo Dominus & Christus factus, à Deo Judex constitutus esse dicitur: Joh. III. 18. I. 2, 3. III. 17, 34. VI. 33. VIII. 32. XIII. 13. XVI. 27, 30. 2 Cor. IV. 4. Coloss. I. 15. Marci XVI. 19.

Phi-

Philipp. II. 6. Apoc. XIX. 13. Joh. V. 22, 27, &c. distinguitur etiam à solo sapiente Deo Rom. XVI. 27. *Resp.* Christus meritò distinguitur & à Deo Patre, tanquam persona à persona; & à S. Trinitate, tanquam persona ab essentiâ communi tribus personis.

XV. Joh. V. 19, 30. legitur, Filium à se ipso nihil facere posse. Deus autem summus à se ipso omnia facere potest, est enim prima & summa omnium rerum causa, & porrò quicquid facere potest, à se ipso potest, non ab alio: aliàs ipse prima & summa caussa non esset, sed potius is, à quo haberet, ut facere aliquid posset. *Resp.* Quid mirum Filium à se ipso nihil facere posse, qui à se ipsò non potuit esse. Deus verò qui est super omnia, quæ solet esse nota characteristica Patris, à se ipso omnia facit, quia à se ipso est, & non ab alio, ut Filius, qui est ab alio, nempe Patre. Ita respondet S. Augustinus lib. de Trinitate & alibi.

XVI. Joh. VII. 16, 17, 18. III. 11, 32, 34. VIII. 28, 38, 40. XII. 49, 50. XIV. 10, 24. XV. 15. XVII. 8, 14. legimus Christi doctrinam non esse Christi; sed alterius alicujus personæ, eumque non loqui à semet ipsò, adeoque constituitur Christus non prima & summa; sed secunda mediaque doctrinæ suæ causa. *Resp.* Loco primario, quo solo negatur κατὰ τὸ ῥητὸν Christi doctrinam esse Christi, eo ipso asseritur ea esse Christi doctrina, quando dicit Christus, *Doctrina mea:* ne

itaque contradictio ſit in verbis Chriſti, dicendum Patris doctrinam eam eſſe κυρίως i. e. *principaliter*, ceu qui miſit Chriſtum & docuit, quæ dicere debuit: Chriſtus verò κατ' οἰκονομίαν doctrinam iſtam, quam à Patre accepit, nos viciſſim, ſecundum mandatum quod acceperat, docuit: neque locutus eſt Chriſtus à ſe ipſo, quia non venit à ſe ipſo, ſed miſſus à Patre, quia nec eſt à ſe ipſo.

XVII. Joh. V. 43. VII. 28, 29. VIII. 42. Chriſtus à ſe ipſo veniſſe negatur, h. e. propria voluntate motus, ſuaque ipſius autoritate fretus. Certè licet diverſæ eſſent in unâ eſſentia divina perſonæ, Pater & Filius, nequiret tamen una ab altera mitti ac venire, quin ſimul à ſe ipſa veniret: ſiquidem eadem numero utriuſque foret voluntas, eadem autoritas. *Reſp.* Revera Chriſtus à ſe ipſo non venit, quia à Patre miſſus eſt. An Catholici negant Chriſtum à Patre miſſum fuiſſe? Quæ ergò hîc difficultas? Annon Rex poteſt mittere filium ſuum & legatum, & filius legatusve dici non venire à ſe ipſo, cùm tamen & filius & legatus cum Rege ſint ὁμοούσιοι.

XVIII. Joh. V. 30. VI. 38. Chriſtus negat ſe veniſſe ut voluntatem ſuam faceret, etenim legati eſt, non ſuam, ſed mittentis voluntatem facere. Sed quomodo Deus ſummus non faciat voluntatem ſuam, aut quomodo, ſi eadem planè voluntas Patris & Filii, quærendo Patris voluntatem, non etiam ſuam quærat Filius. *Reſp.* Si negas Patris &

Filii

Filii esse unam voluntatem, desine locum istum Joh. X. 30. *Ego & Pater unum sumus*, explicare de unitate voluntatis; aut si vel specie tantùm unam vis esse voluntatem Patris & Filii, utique dicas Christum etiam fecisse voluntatem suam, quando fecit voluntatem Patris.

XIX. Joh. VIII. 50. Christus gloriam suam non quæsivit. Sed Deus summus non potest non quærere gloriam suam, quia finis omnium actionum Dei, & eorum qui ab ipso mittuntur, eive serviunt, ultimus est scopus Dei ipsius gloria. Imò si Christus ejusdem cum Patre essentiæ fuisset, idemque cum eo Deus, ipsius gloriam quærendo, suam quoque quæsisset: item vers. 54. Christus aït, si seipsum glorificaret, gloriam suam nihil fore: ast quomodo gloria, quæ à summo Deo proficiscitur, nihil, h. e. vana & inanis esse potest. Conf. Ebr. V. 5. *Resp.* Christus venit ut legem impleret, & ut virtutes exercendo nobis suo exemplo præïret: inter virtutes istas est etiam humilitas, cujus est suam gloriam non quærere.

XX. Joh. XII. 44. Christus negat se esse ultimum fidei scopum, ejusque principale objectum. *Resp.* Quando Christus d. l. dicit, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit*: etiam dicit: *Qui credit in me.* Adeoque qui credit in Filium, credit etiam in Patrem; ita ut, quia Filius est, & dependet à Patre, cujusque causa Pater est, ut loquitur

Ar-

Arriaga Disp. 7 Phys. §. 3. fides in filium de filio redundet in Patrem, tanquam in fontem Deitatis: sicut etiam in humanis honor, quo honoratur filius vel legatus, redundat in patrem vel regem, propter auctoritatem principii, vel originis, quæ minimè tollit æqualitatem vel identitatem naturæ, ut notissimum est.

XXI. Matth. XXVI. 39. Lucæ XXII. 42. Christus Patri de se statuendi, & contra etiam quàm ipse cuperet, decernendi arbitrium permittit. *Resp.* Et hoc est mysterium τῆς οἰκονομίας, quod Christus venerit, ut voluntatem Patris faceret.

XXII. Joh. XIV. 28. Christus confitetur Patrem se majorem. *Resp.* 1. Non ratione essentiæ vel naturæ, quâ cum Patre unum est, sed ratione personæ, quatenus filius, mediator & sacerdos est. Ita Hieronymus Zanchius epist. lib. 1. ad Joh. Wilh. Stuck. *Christus ut Filius minor Patre non incongruè dici potest, quia plus est esse à nullo, quàm esse ab alio: & generare, quàm generari. Et hoc sensu multi Patres locum illum,* Pater major me est, *interpretantur.* ——— *Neque impium fuerit, siquis dicat, Deum qui est de Deo inferiorem illo esse, qui Deus non est de Deo. Majus enim quiddam est Deitatem habere à semet ipso, quàm eandem habere ab alio sibi communicatam.* Et Franciscus Junius contra Bellarmin. contr. 2. lib. 5. cap. 5. anim. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. ait, *divinitatem*

Filii

Filii (personalem) esse sacerdotem, & Filium Dei (in persona sua) quantus quantus est, esse ministrum & sacerdotem Patris: &, quia omnis Sacerdos est minor eo cujus est sacerdos, ideo etiam personam Filii esse Patre minorem & inferiorem, & inservire Patri, consilio Oeconomico, & ministerio voluntario. Calvinus quoque epist. 1 & 2 ad Polonos, ait *Filium esse Patre minorem etiam secundùm divinam naturam.* Idem adv. Valent. Gentil. ei concedit, Patrem καθ' ὑπεροχὴν καὶ ἐξοχὴν *esse Deum*: in refut. 10 prothes. Idem in Instit. lib. 1. cap. 13. §. 24. Zanchius præf. de tribus Elohim, & lib. 1. cap. 3. Chassanæus lib. 1. loc. Comm. cap. 15. sect. 13. fatentur, *Patrem esse principaliter Deum, nomen Dei prius de Patre prædicari, quàm de Filio, Filium esse secundum à Patre, non solùm ordine, sed etiam dignitate, quoniam essendi origo Pater ipsi est.* Nam Christus Filius, Mediator & Sacerdos est etiam secundum divinam naturam, quatenus persona, non quatenus essentia est. 2. Non sequitur ex h. l. Filium absolutè Patre esse minorem: quemadmodum rectè aït Hilarius, ex eo quod *Pater Filio major est*, non sequi, *Filium esse minorem Patre.* 3. Non sequitur ex h. l. Patrem cum Filio non habere eandem essentiam. Nam ecce Delphino ceu filio major est Rex Galliæ ceu pater, at quis sanæ mentis eos propterea negaret esse ὁμοουσίους.

XXIII. Joh. III. 17. IV. 34. V. 23,

24, 30, 37, 38. Rom. VIII. 3, Gal. IV. 4. &c. Psalm. CVI. 20. CX. 8. CXLVII. 4. Esai. VI. 6. XIX. 20. XLVIII. 16. Zachar. II. 8, 9, 11. IV. 8, 9, &c. Christus dicitur missus à Patre. *Resp.* secundùm commune axioma Theologorum: *Missio & obedientia non tollunt æqualitatem naturæ.* Hic memoria mihi suggerit nostrates probare, Petrum fuisse inferiorem cæteris apostolis, eo quod ille ab his fuerit missus, quod ansam dedit Baronio a. 35. nostratibus insultandi. *Sapiant*, inquit, *hac ratione, & idem dicant quod Arius, Filium quod à Patre sit missus, esse Patre minorem.* At vellem penitius inspexisset Baronius historiam ecclesiasticam, & invenisset, Arium à Patribus Concilii Nicæni non fuisse condemnatum, quod diceret *Filium minorem Patre*, quod potius Concilium Nicænum confirmavit, quando in Symbolo definiit *Filium esse Deum de Deo, Lumen de Lumine*; annon Alexander primus Arii adversarius ipse dicit Patrem esse majorem Filio honore, dignitate, deitate, & ipso nomine paterno, quia Pater ingenitus, Filius genitus? Annon Athanasius & sequentes multi Patres Post-Nicæni τὸ *Pater major me est*, exposuerunt etiam *secundùm* divinam naturam, licet non *quoad* divinam naturam? Sed ideo condemnatus fuit Arius, quod diceret aliam essentiam esse Patris, aliam Filii, Deum non semper fuisse Patrem, Filium ex non-entibus factum, initium essendi aliquan-

do

do accepiſſe, minorem Deum eſſe, vel minùs propriè Deum eſſe quàm Patrem. At quis noſtratium iſto argumento probare voluit Petrum aliam eſſentiam vel naturam ab aliis apoſtolis habuiſſe, Petrum juniorem aliis apoſtolis fuiſſe, Petrum minorem hominem, vel minus propriè, vel abuſivè hominem fuiſſe, quàm alios apoſtolos? Manet ergò firmum & immotum argumentum Proteſtantium Petrum fuiſſe minorem Concilio apoſtolorum, adeoque etiam Pontificem Romanum, quem volunt eſſe ſucceſſorem Petri, eſſe infra Concilium. Tantum verò abeſt ut Baronius probare poſſit majorem mitti poſſe à minore, ut nec probare queat æqualem poſſe mitti ab æquali.

XXIV. Deuter.XVIII. 18. Joh.IV. 34. X. 18. XII. 49, 50. XIV. 31. VI. 38. VIII. 29, 55. XV. 10. XVII. 4. XVIII. 11. Chriſtus legitur mandata accepiſſe à Deo, eaque ſervâſſe, Rom.V. 19. Phil. II. 8. obediiſſe Deo. Eſaiæ XLII. 1. (Matth. XII. 18.) XLIX. 5,6. LII. 13. LIII. 11. Ezech. XXXIV. 23, 24. XXXVII. 24, 25. Act. XIII. 47. Ebr. VIII. 2. ſervus eſſe Dei. *Reſp.* ſecundùm commune Theologorum axioma: *Miſſio & obedientia non tollunt æqualitatem naturæ*, licèt Filius etiam ſecundùm naturam divinam obediverit Patri. Quemadmodum veriſſimè Philippus Melanchthon: *Divina natura*, inquit, *fuit obediens Patri ſuo, quievit, ceſſit iræ æternæ Patris.*

tris. Formula Concordiæ art. 3. *Christum ut Deum & hominem in sola sua tota & perfectissima obedientia esse nostram justitiam.* Item: *Obedientiam Christi non fuisse unius duntaxat naturæ; sed totius personæ.* Ibidem asseritur ex eo quòd Joh. III. dicitur, *Filium à Patre missum in mundum, eundem & ante assumptam humanitatem obedivisse Patri.* In quem locum Dorscheus nostras Vindic. c. 2. §. 4. *Facit* (Filius) *voluntatem Patris sui cœlestis non secundùm humanam tantùm, sed & divinam naturam.* Calvinus adv. Gentil. Refut. 10. ait *Filium esse Patri subjectum etiam secundùm divinam naturam.* Et Franciscus Junius Anti-Bellarm. contr. 2. lib. 5. cap. 3. observ. 2. ait, non solùm verum enunciatum esse, *Deum Filium obedivisse Patri*; sed & *Deitatem obedientem factam esse.* Illo utique sensu olim Basilius de Spir. S. cap. 16. dicit, *Deum Patrem creationem imperare, Verbum creare, & Spiritum S. confirmare.* Augustinus de Incarn. l. 2. *Filium in omni conditione Patri ministrâsse, quia per ipsum omnia facta sunt.* Prosper ad Psal. 148. *Ipse mandavit & creata sunt: quod enim Deus dicit, Verbo dicit: & Verbum per quod facta sunt omnia, mandatum dicentis exequitur.* Similiter locum hunc exponunt Athanasius de Decret. Hilarius lib. 5 de Trinitat. Cyrillus lib. 29 Thesauri. Nihil ergò hoc argumentum contra nos facit, qui non negamus Deitatem personalem Filii

quà

quà sic, vel in Filio obedientem factam esse.

XXV. Joh. XVII. Matth. XXVI. 39. Lucæ XXII. 41, 46. XXIII. 34, 36. Ebr. V. 7. Christus Patris opem imploravit, orans pro se & discipulis. *Resp.* Hoc ipso, præterquam quod orationem nos docuit dirigere ad *Patrem nostrum*, & promisit, nos accepturos quicquid petierimus *Patrem* in nomine ejus, suo exemplo, à nobis imitando, præire nobis voluit: & propterea definiit Concilium Carthaginense 3. Can. 23. *Cùm ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Unde Guilielmus Durantes in Rationali Divin. Offic. cap. 88. *al.* lib. 4. cap. 15. de orat. S. collecta. *Omnis*, inquit, *oratio regulariter ad Patrem dirigitur, & terminatur in nomine Filii*, (i. e. ut ante dixerat *per Filium.*) Post: *Veruntamen omnis oratio dirigitur ad Patrem vel ad Filium, & nulla ad Spiritum S. quia S. S. est donum, & à dono non petitur donum, sed potiùs à largitore doni. Petitur ergò à Patre & Filio, & ad eos sermo dirigitur, tanquam ad donatores, & non à Spiritu S. qui est donum & pariter ab utroque procedit.* Et Autor libri de Officio Missæ, (qui impressus est ante a. 1498 in 4°.) tr. IV. p. 1. art. 9. *Omnis oratio regulariter ad Patrem dirigitur, & terminatur in nomine Filii secundum Guilhelmum in Rationali*, &c. Post: *Quæris quare oratio nulla dirigitur ad Spiritum sanctum? Dicendum secundùm Guilelmum*

in

in rationali: quia Spiritus S. eſt donum: & à dono non petitur donum; ſed potiùs à largitore doni: petitur ergò à Patre & Filio, (& ad eos ſermo dirigitur,) tanquam à donatore, & non à Spiritu ſancto, qui eſt donum, & pariter de utroque procedit. Hugo Cardinalis in tractatu ſuo in Miſſali Cracovienſi edito a. 1510. *Omnis precatio debet fieri ad Deum Patrem: ad Filium raro, ad Spiritum S. nunquam: quia Spiritus S. eſt donum, & donum non petitur à dono, tantùm à datore doni.* Quibus ſuffragatur Toſtatus in Matth. VI. q. 88. & Jeſuita D. Petavius, qui de Trinit. lib. 3. c. 7. §. 15 aſſerit *etiam poſt Concilium Conſtantinopolitanum tantùm ad Deum Patrem & Chriſtum eccleſiaſticas preces directas fuiſſe, non ad Spiritum ſanctum.* Chriſtus autem ſe ipſum invocare non potuit, nec opus habuit.

XXVI. Chriſto Pater largitus eſt omnia. Summus verò Deus à nemine quicquam dono accipere, nedum omnia, poteſt, cùm ipſe largiatur omnibus omnia. Autor Operis Imperf. hom. 28. ſuper illud: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo:* egregiè diſſerit, tradentem, & qui tradita accipit, nec unius ejuſdemque numero eſſentiæ, nec æqualis poteſtatis eſſe poſſe. Huc refer quòd Chriſtus exaltatus ſit à Deo, ab eo glorificatus, Dominus & Chriſtus factus. *Reſp.* Non video majorem difficultatem in eo, quòd Chriſto Pater largitus eſt omnia, quàm in eo, quod Chriſto Pater largitus eſt *τὸ eſſe,* quod nos

ultrò

ultrò fatemur. Deinde minimè sequitur tradentem, & eum qui tradita accipit, non esse coëssentiales. Exaltatus verò est Christus à Deo, glorificatus, Dominus & Christus factus, postquam minor factus fuerat angelis, Hebr. II. 7, 8. unde manifestò patet, Christum antea majorem fuisse angelis, adeoque fuisse ante Mariam, quia vera humana natura, licèt perfectissima, semper minor est natura angelica.

XXVII. Joh. VIII. 16. Si Christus fuisset solus, nec Pater ei adfuisset, fieri potuisset, ut in judicando errâsset, vel saltem non immerito de veritate judicii ejus dubitari potuisset. At si Christus Deus ille summus esset, non minus verum fuisset ipsius judicium, licet solus fuisset, quàm nunc censendum est, quia Pater ei adsit. *Resp.* Nullam difficultatem perspicio in his verbis Christi: *Quodsi etiam judicem ego, judicium meum firmum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater.*

XXVIII. Joh. VIII. 14. Joh. X. 36. Si Christus esset summus Deus, non illas rationes adferre debuisset; sed potius hanc, quod ipse scil. sit summus Deus, unius ejusdemque numero cum Patre essentiæ. *Resp.* Christus se propterea nunquam Deum dixit, quia Judæi ad idololatriam & polytheïan introducendam proclives erant. Imò prohibuit etiam apostolis, ne dicerent se esse Chri-

Christum, & propterea in parabolis loquebatur Judæis, ne videntes viderent, & intelligentes intelligerent. Interea sufficiebant rationes à Christo datæ.

XXIX. Joh. VIII. 29. XVI. 32. Christus indicat sibi non satis opis & præsidii fore, si à Patre deseratur. Se verò à Patre non deseri ideo quia faciat semper quæ ei grata sint; sed si Deus summus esset, pro ratione potiùs adduxisset, quia unius sit cum Patre essentiæ, ac adeò non posse deseri ab eo, relinquique solus. *Resp.* ut ad XXVIII. Interea sufficiebat ratio hæc: Nam quia ipse faciebat semper, quæ Patri grata essent, ideoque impossibile erat, ut ipse à Patre desereretur, & propterea ope & præsidio sufficienti nunquam cariturus erat. Neque major difficultas est in h. l. quàm in hac propositione: *Deus non posset salvare homines, si Deus esse desineret*, quod impossibile est.

XXX. Esai. XI. 2. XLII. 1. Conf. Matth. XVII. 5. Esaiæ LXI. 1. Conf. Lucæ IV. 18. Matth. III. 16. Lucæ III. 22. Joh. I. 23, 33. Lucæ IV. 1. Actor. I. 2. X. 38. opus fuit Christo Spiritu sancto, qui datus etiam ei à Deo. Deus autem non indiget aliquo. *Resp.* Christo opus fuit Spiritu S. postquam carnis & sanguinis factus fuerat particeps, postquam minor factus esset angelis, postquam se humiliasset & evacuasset: verbo, postquam caro factus esset.

XXXI. Lucæ II. ult. Christus profecit sapientia, ætate & gratiâ apud Deum & homines Resp. 1. Christus paulatim in carne assumpta reassumpsit sapientiam, quâ se per exinanitionem vel evacuationem privaverat, vel quam ad tempus deposuerat. Vel 2. Christus paulatim sapientiam suam exerendo sapientiâ proficere visus est.

Hactenus respondi ad argumenta, quibus Filii Summa Deitas oppugnatur, nunc reliquum est ut ea examinemus, quibus Spiritûs sancti supremam Deitatem adversarii nostri impugnatum eunt.

I. Spiritus sanctus in sacris literis dicitur mitti à Patre & Filio: à Filio quidem Joh. XV. 26. XVI. 7. à Patre autem Esaiæ XLVIII. 16. Joh. XIV. 26. & XV. 26. Deo summo autem absolutè repugnat posse mitti. Sequitur itaque Spiritum sanctum minorem esse & Patre & Filio. Resp. 1. secundùm commune Theologorum axioma: *Missio & obedientia non tollunt æqualitatem naturæ,* sed tantùm personæ. 2. Respondeo cum Origene tract. 5 in Matth. *Spiritus sanctus se humiliavit, & missus est in hunc mundum propter salutem hominum.*

II. Spiritus S. in visibili formâ descendisse legitur Matth. III. 16. Joh. I. 32. Matth. XVII. 5. Marci I. 10. Lucæ III. 22. Marci IX. 7. Lucæ IX. 34. Act. II. 2, 3, 4. Deum autem summum nec videri, nec loco moveri, nec in visibili forma apparere posse

unquam; imò nec ullus locus proferri poteſt è ſacris ſcripturis, in quo talia de ſummo Deo Patre prædicentur. *Reſp.* Imò neque Spiritus ſanctus viſus eſt, ſed columba fuit tantùm ſignum ejus præſentiæ, & quòd Deus ſummus in viſibili formâ apparere poſſit, probatur, quia ipſe Deus Pater apparuit in formâ ſenis ſeu antiqui dierum.

III. Spiritus ſanctus in ſacris dividi dicitur, quod & cuilibet Spiritui perſonali repugnat, multò magis ſummo Deo. *Reſp.* Spiritus S. diſtribuitur ratione donorum.

IV. Spiritum ſanctum extinguere prohibemur 1 Theſſ. V, 19. Aſt quomodo ſummus Deus extingui poſſit, & quidem ab iis, quorum ipſe autor ſit, ut exiſtant & conſerventur, Creator ſcil. à Creatura ſua. *Reſp.* Spiritus ſanctus non extinguitur propriè, ratione eſſentiæ, ſed ratione operationis.

V. Spiritus ſanctus effunditur. At nullo modo effundi dici poteſt ſummus Deus, qui ubique eſt & loco non movetur. *Reſp.* Spiritus ſanctus effunditur ratione donorum & operationum, & ratione individuorum ſingulorum, quibus Spiritus S. datur.

VI. Joh. XVI, 13, 14, 15. Non loqui dicitur Spiritus ſanctus à ſe ipſo, nec facere, ſed ex filio ea ſumere, quæ loquitur, ſicut Filius à Patre, quæ ſummo Deo non conveniunt. *Reſp.* Ideo Spiritus ſanctus non loquitur à ſe ipſo, quia non eſt à ſe ipſo.

VII. Spiritus pro nobis poſtulat gemitibus

bus inenarrabilibus, Rom. VIII. 26. Ast hæc summo Deo indigna. Nam hic neminem adorat, & à nemine quicquam petit gemitibus, cum ipse omnia facere possit quæ velit. *Resp.* Ego suspicor hunc locum ab hæreticis Pneumatomachis fuisse depravatum.

VIII. Apoc. I. 4. stare dicuntur coram throno Dei septem spiritus, quod more loquendi scripturæ est subditorum & ministrorum, qui adstant parati ad capessenda exequendaque jussa ejus in cujus conspectu stant, attestantibus Fr. Ribera, Blasio Viega & Cornelio Lapide h. l. & Grotio in Joh. III. 29. Sed per septem spiritus h. l. Spiritum S. intelligunt Justinus Martyr, Origenes, Victorinus, Beda, Eucherius, Joachimus Abbas, Rupertus Tuitiensis, Ansbertus, Haymo, Primasius, Aretas, Thomas Alcazar, Catharinus, Wizelius, Antiochus Brondus, Pererius, Gagnæius, Alfonsus Conradus. Nec hanc interpretationem improbant Dionysius Carthusianus aut Blasius. *Resp.* Irenæus, Clemens Alexand. Strom. 6. Justinus exhort. Origenes homil. 13. Num. Cyprianus de exhort. mart. & contra Judæos, Epiphanius, Salmeron, Suarez, Fontana, Weberus, Danielius, Massellius, Pineda, Pererius, Maldonatus, Vasquez, Mayronis, Serarius, Ribera, Blasius Viega, Cornel. à Lapide h. l. intelligunt per septem spiritus, angelos septem magnos, primarios, supremos spiritus vel archangelos, principes aulæ

cœleſtis, & inter cæteros dignitate excellentes, divinæ providentiæ circa eccleſiæ gubernationem miniſtros, qui aſtant ante divinum thronum, quaſi ſtipatores ac primores regni ipſius, parati ad omne imperium Dei, quibus humanæ ſalutis cura ut præpoſitis & mediatoribus demandata eſt, imò qui univerſo orbi, omnibuſque eccleſiis præſident, unde inferiores angeli recipiunt, quæ ad mundi miniſtrationem pertinent. At Autor Operis Imperfecti hom. 1, 30, 33, Nicolaus Lyranus & Hugo per ſeptem ſpiritus intelligunt univerſam angelorum multitudinem. In hanc quoque ſententiam magis inclinat Ribera, nec rejiciunt eam Blaſius, Dionyſius Carthuſianus & Cornelius à Lapide. Confer Aretam & Andream Cæſar. Vatablum & Lyram h. l. & in Zachar. III. & Sebaſt. Meyer apud Marloratum.

IX. 1 Cor. II. 10. Spiritus ſcrutatur profunda Dei. Inſtas Pſalm. IX. 10. Jerem. XVII. 10. Deus dicitur ſcrutari renes & corda hominum: at reſpondeo hæc eſſe extra Deum: Deitas ergò vel profunda Dei etiam ſunt extra Spiritum S. & hoc eſt quod volumus. Confirmatur autem argumentum, quia nemo ſcrutatur ſui ipſius profunda, illa enim jam ſcit. *Reſp.* Spiritus ſanctus ita ſcrutatur, ut ſciat, quemadmodum dicitur verſu ſequenti: *quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui eſt in eo? ita etiam ea quæ ſunt Dei,*

Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei : quemadmodum etiam Deus dicitur scrutari renes & corda hominum, qui tamen omnia scit etiam antequam scrutetur.

X. Matth. XI. 27. Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater. Spiritus S. ergò neutrum novit. *Resp.* Cum Pâtre & Filio subintelligitur utriusque Spiritus.

XI. Joh. XVII. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, (*Pater*) qui es solus verus Deus, & quem misisti, Jesum Christum. Ergò Spiritûs S. cognitio non requiritur ad vitam æternam. *Resp.* ut supra.

XII. Spiritus S. à Deo creberrimè distinguitur. *Resp.* Idque non immeritò à Patre, ut persona à personâ; & à S. Trinitate, ut persona ab essentiâ communi tribus personis.

Hæc sunt argumenta omnia quæ Ariani & Sociniani proferunt ex SS. literis contra SS. Trinitatis consubstantialitatem, coæqualitatem & coæternitatem, & contra Filii Spiritusque sancti supremam deitatem, ad quæ debito modo nunc respondi. Videbit autem ex his Lector, quàm nihil præsidii dicti hæretici in S. Scriptura inveniant, (ut frustra nobis inculcet Masenius, *scripturam videri suadere oppositum* :) & quam firmiter nos dictum mysterium ex eadem demonstrare valeamus, adeò ut non opus habuerint Patres orthodoxi pio zelo metu Arianorum quædam loca in S. Scriptura addere, quædam tollere, vel in sensum catholicum com-

Apoc. III. 12
Verbi Deum v
Christus ait :
quæst. & solu
est, & supra
quadam idea
neris testimo
fert. περὶ τῶ
re Philosopho
de Verbo , u
fatear Ariano
non posse , f
moniis divinis
mento primo
agere contra
mnium veter
ptorum , in
Quamobrem
perf. hom. 1.
est filius Dei,
constat apud
fuisse filium D
Spiritu sancto
nem.) *Super*
nere eis divin
optimè cognos
mysterium inc
Eusebius den
Iudæos suor
stianos eand
Memineris a
se Arianum.

vocem *Dei* Hieronymum
suspicatur, quasi ex ὀ fece-
us aït fieri potuisse, ut ea
extui. 6. 1 Joh. V. 7. ab
um fuisse, ait Erasmus h. l,
Grotius dicit fieri potuisse,
um pro χρῦ. Et Erasmus in
esp. apol. ad Episc. Hispal.
multa in scripturis propter
m addidisse & erasisse, &
posita fuerant, in contextum
Comestorem quoque dicit
lta è suo capite sine ullâ ratio-
sse.

nnia scripserim, quæ mihi
eram, tractatum hunc finio,
censuræ Ecclesiasticæ subji-
virorum eruditorum & pio-
di: est veritatem ex S. Scriptu-
Si quid minus dicendum fue-
nque sit, quasi non dictum
n *Domine*, sed *adjuva incredu-*
Vale interea Lector benigne,
de, me tui gratiâ scripsisse,
ipsi.

FINIS.

Er-

Chriſtum, & propterea in parabolis loquebatur Judæis, ne videntes viderent, & intelligentes intelligerent. Interea ſufficiebant rationes à Chriſto datæ.

XXIX. Joh. VIII. 29. XVI. 32. Chriſtus indicat ſibi non ſatis opis & præſidii fore, ſi à Patre deſeratur. Se verò à Patre non deſeri ideo quia faciat ſemper quæ ei grata ſint; ſed ſi Deus ſummus eſſet, pro ratione potiùs adduxiſſet, quia unius ſit cum Patre eſſentiæ, ac adeò non poſſe deſeri ab eo, relinquique ſolus. *Reſp.* ut ad XXVIII. Interea ſufficiebat ratio hæc: Nam quia ipſe faciebat ſemper, quæ Patri grata eſſent, ideoque impoſſibile erat, ut ipſe à Patre deſereretur, & propterea ope & præſidio ſufficienti nunquam cariturus erat. Neque major difficultas eſt in h. l. quàm in hac propoſitione: *Deus non poſſet ſalvare homines, ſi Deus eſſe deſineret*, quod impoſſibile eſt.

XXX. Eſai. XI. 2. XLII. 1. Conf. Matth. XVII. 5. Eſaiæ LXI. 1. Conf. Lucæ IV. 18. Matth. III. 16. Lucæ III. 22. Joh. I. 23, 33. Lucæ IV. 1. Actor. I. 2. X. 38. opus fuit Chriſto Spiritu ſancto, qui datus etiam ei à Deo. Deus autem non indiget aliquo. *Reſp.* Chriſto opus fuit Spiritu S. poſtquam carnis & ſanguinis factus fuerat particeps, poſtquam minor factus eſſet angelis, poſtquam ſe humiliaſſet & evacuaſſet: verbo, poſtquam caro factus eſſet.

XXXI. Lucæ II. ult. Christus profecit sapientia, ætate & gratiâ apud Deum & homines Resp. 1. Christus paulatim in carne assumpta reassumpsit sapientiam, quâ se per exinanitionem vel evacuationem privaverat, vel quam ad tempus deposuerat. Vel 2. Christus paulatim sapientiam suam exerendo sapientiâ proficere visus est.

Hactenus respondi ad argumenta, quibus Filii Summa Deitas oppugnatur, nunc reliquum est ut ea examinemus, quibus Spiritûs sancti supremam Deitatem adversarii nostri impugnatum eunt.

I. Spiritus sanctus in sacris literis dicitur mitti à Patre & Filio: à Filio quidem Joh. XV. 26. XVI. 7. à Patre autem Esaiæ XLVIII. 16. Joh. XIV. 26. & XV. 26. Deo summo autem absolutè repugnat posse mitti. Sequitur itaque Spiritum sanctum minorem esse & Patre & Filio. Resp. 1. secundùm commune Theologorum axioma: *Missio & obedientia non tollunt æqualitatem naturæ*, sed tantùm personæ. 2. Respondeo cum Origene tract. 5 in Matth. *Spiritus sanctus se humiliavit, & missus est in hunc mundum propter salutem hominum.*

II. Spiritus S. in visibili formâ descendisse legitur Matth. III. 16. Joh. I. 32. Matth. XVII. 5. Marci I. 10. Lucæ III. 22. Marci IX. 7. Lucæ IX. 34. Act. II. 2, 3, 4. Deum autem summum nec videri, nec loco moveri, nec in visibili forma apparere posse

unquam; imò nec ullus locus proferri potest è sacris scripturis, in quo talia de summo Deo Patre prædicentur. *Resp.* Imò neque Spiritus sanctus visus est, sed columba fuit tantùm signum ejus præsentiæ, & quòd Deus summus in visibili formâ apparere possit, probatur, quia ipse Deus Pater apparuit in formâ senis seu antiqui dierum.

III. Spiritus sanctus in sacris dividi dicitur, quod & cuilibet Spiritui personali repugnat, multò magis summo Deo. *Resp.* Spiritus S. distribuitur ratione donorum.

IV. Spiritum sanctum extinguere prohibemur 1 Thess. V. 19. Ast quomodo summus Deus extingui possit, & quidem ab iis, quorum ipse autor sit, ut existant & conserventur, Creator scil. à Creatura sua. *Resp.* Spiritus sanctus non extinguitur propriè, ratione essentiæ, sed ratione operationis.

V. Spiritus sanctus effunditur. At nullo modo effundi dici potest summus Deus, qui ubique est & loco non movetur. *Resp.* Spiritus sanctus effunditur ratione donorum & operationum, & ratione individuorum singulorum, quibus Spiritus S. datur.

VI. Joh. XVI. 13, 14, 15. Non loqui dicitur Spiritus sanctus à se ipso, nec facere, sed ex filio ea sumere, quæ loquitur, sicut Filius à Patre, quæ summo Deo non conveniunt. *Resp.* Ideo Spiritus sanctus non loquitur à se ipso, quia non est à se ipso.

VII. Spiritus pro nobis postulat gemitibus

bus inenarrabilibus, Rom. VIII. 26. Ast hæc summo Deo indigna. Nam hic neminem adorat, & à nemine quicquam petit gemitibus, cum ipse omnia facere possit quæ velit. *Resp.* Ego suspicor hunc locum ab hæreticis Pneumatomachis fuisse depravatum.

VIII. Apoc. I. 4. stare dicuntur coram throno Dei septem spiritus, quod more loquendi scripturæ est subditorum & ministrorum, qui adstant parati ad capessenda exequendaque jussa ejus in cujus conspectu stant, attestantibus Fr. Ribera, Blasio Viega & Cornelio Lapide h. l. & Grotio in Joh. III. 29. Sed per septem spiritus h. l. Spiritum S. intelligunt Justinus Martyr, Origenes, Victorinus, Beda, Eucherius, Joachimus Abbas, Rupertus Tuitiensis, Ansbertus, Haymo, Primasius, Aretas, Thomas Alcazar, Catharinus, Wizelius, Antiochus Brondus, Pererius, Gagnæius, Alfonsus Conradus. Nec hanc interpretationem improbant Dionysius Carthusianus aut Blasius. *Resp.* Irenæus, Clemens Alexand. Strom. 6. Justinus exhort. Origenes homil. 13. Num. Cyprianus de exhort. mart. & contra Judæos, Epiphanius, Salmeron, Suarez, Fontana, Weberus, Danielius, Massellius, Pineda, Pererius, Maldonatus, Vasquez, Mayronis, Serarius, Ribera, Blasius Viega, Cornel. à Lapide h. l. intelligunt per septem spiritus, angelos septem magnos, primarios, supremos spiritus vel archangelos, principes aulæ

cœlestis, & inter cæteros dignitate excellentes, divinæ providentiæ circa ecclesiæ gubernationem ministros, qui astant ante divinum thronum, quasi stipatores ac primores regni ipsius, parati ad omne imperium Dei, quibus humanæ salutis cura ut præpositis & mediatoribus demandata est, imò qui universo orbi, omnibusque ecclesiis præsident, unde inferiores angeli recipiunt, quæ ad mundi ministrationem pertinent. At Autor Operis Imperfecti hom. 1, 30, 33, Nicolaus Lyranus & Hugo per septem spiritus intelligunt universam angelorum multitudinem. In hanc quoque sententiam magis inclinat Ribera, nec rejiciunt eam Blasius, Dionysius Carthusianus & Cornelius à Lapide. Confer Aretam & Andream Cæsar. Vatablum & Lyram h. l. & in Zachar. III. & Sebast. Meyer apud Marloratum.

IX. 1 Cor. II. 10. Spiritus scrutatur profunda Dei. Instas Psalm. IX. 10. Jerem. XVII. 10. Deus dicitur scrutari renes & corda hominum: at respondeo hæc esse extra Deum: Deitas ergò vel profunda Dei etiam sunt extra Spiritum S. & hoc est quod volumus. Confirmatur autem argumentum, quia nemo scrutatur sui ipsius profunda, illa enim jam scit. *Resp.* Spiritus sanctus ita scrutatur, ut sciat, quemadmodum dicitur versu sequenti: *quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei,*

Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei : quemadmodum etiam Deus dicitur scrutari renes & corda hominum, qui tamen omnia scit etiam antequam scrutetur.

X. Matth. XI. 27. Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater. Spiritus S. ergò neutrum novit. *Resp.* Cum Patre & Filio subintelligitur utriusque Spiritus.

XI. Joh. XVII. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, (*Pater*) qui es solus verus Deus, & quem misisti, Jesum Christum. Ergò Spiritûs S. cognitio non requiritur ad vitam æternam. *Resp.* ut supra.

XII. Spiritus S. à Deo creberrimè distinguitur. *Resp.* Idque non immeritò à Patre, ut persona à personâ; & à S. Trinitate, ut persona ab essentiâ communi tribus personis.

Hæc sunt argumenta omnia quæ Ariani & Sociniani proferunt ex SS. literis contra SS. Trinitatis consubstantialitatem, coæqualitatem & coæternitatem, & contra Filii Spiritusque sancti supremam deitatem, ad quæ debito modo nunc respondi. Videbit autem ex his Lector, quàm nihil præsidii dicti hæretici in S. Scriptura inveniant, (ut frustra nobis inculcet Masenius, *scripturam videri suadere oppositum :*) & quam firmiter nos dictum mysterium ex eadem demonstrare valeamus, adeò ut non opus habuerint Patres orthodoxi pio zelo metu Arianorum quædam loca in S. Scriptura addere, quædam tollere, vel in sensum catholicum com-

mutare, quandocunque verba ipsa aliud præ se ferre videbantur: quemadmodum 1. ex Lucæ Euangelio XIX. 41. locum de fletu Christi propter metum Arianorum catholicos delevisse attestantur Hilarius, Epiphanius in Ancor. & Hieronymus: Vide Vasquium parte 3. tomo 1. disputatione 56. 2. In Matth. XXIV. 36. *τὸ neque filius*, putat Erasmus, & qui eum sequitur Casaubonus, resectum esse, ne Arianis darent ansam confirmandi Filium esse Patre minorem: & Soto de h. l. 4. distinct. 43. quæst. 2. art. 2. *Verosimile, ut ex Hieronymo colligitur, aliquos nimium cautos Arianorum tempore eandem vocem abrasisse, ut eis ansam auferrent dicendi Filium esse creaturam.* Vide Malvendam de Antichristo, I. cap. 40. 3. Ex Lucæ Euangel. XXII. 44. de sudore Christi & de Angeli ad ipsum consolatione scribit Sixtus Senensis Bibl. S. lib. 1. *Suspicor hanc historiam olim à quibusdam orthodoxis pio quidem, sed simplici zelo rejectam, quod favere videretur Arianis hæreticis: qui ex hoc & huic similibus testimoniis astruebant, Filium Dei in eadem impassibilis Dei naturâ non esse.* Illud sanè patet ex Epiphanio hær. 69. & Ancor. Arianos istis verbis usos ad probandam inæqualitatem Patris & Filii. 4. 1 Tim. III. 16. Deum *additum fuisse adversus hæreticos Arianos* subolet Erasmo, idque rectè, nam vocem illam insertam fuisse à Macedonio II episcopo Constantinopolitano, apertissimè demonstravit Sandius.

5. Rom.

5. Rom. IX. 5. vocem *Dei* Hieronymum addidisse Erasmus suspicatur, quasi ex ὁ fecerit θεὸς; & Grotius aït fieri potuisse, ut ea vox addita fuerit textui. 6. 1 Joh. V. 7. ab Hieronymo insertum fuisse, ait Erasmus h. l, 7. Act. XX. 28. Grotius dicit fieri potuisse, ut θεῦ fuerit positum pro χρῦ. Et Erasmus in Lucæ IV. & 61 resp. apol. ad Episc. Hispal. scribit *Pontificios multa in scripturis propter hereticos in textum addidisse & erasisse, & quæ in margine posita fuerant, in contextum posuisse.* Petrum Comestorem quoque dicit Maldonatus, *multa è suo capite sine ullâ ratione Bibliis attexuisse.*


Cum jam omnia scripserim, quæ mihi scribere proposueram, tractatum hunc finio, eumque totum censuræ Ecclesiasticæ subjicio, judicioque virorum eruditorum & piorum, quibus cordi est veritatem ex S. Scriptura investigare. Si quid minus dicendum fuerat, id quodcunque sit, quasi non dictum esto. *Credo* enim *Domine*, sed *adjuva incredulitatem meam.* Vale interea Lector benigne, & firmiter crede, me tui gratiâ scripsisse, quæcunque scripsi.

FINIS.

Er-

Errata.

PAg. 9. l.3. *bem* leg. *autem* l. 5. *ctum* leg. *bum* P. 23. l. 6. qua *leg.* quæ P. 69. l. *del.* (P 72. l. 15. *post* 32. *adde*) l. 17. prodives *leg.* proclives P. 87. l. 23. *add.* aitque: *Quidam nimis argutè hinc personarum colligunt Trinitatem.* P. 118. l. 12. halb leg. held P. 130. & 131. leg. XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII. P. 135. leg. XLVIII. P. 138. leg. LV. P. 148. l. 14. *Spiritûs* leg. *Spiritus* P. 160. l. 5. tulum *leg.* titulum P. 167. l. penult. *Ver-* leg. *Verbum.*




BIBLIOTECA